



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

[Liber I]

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

set; unde delectu opus: nec omitam si quæ in libris sexti Decretalium, Clementinis, Extravagantibus & Decreto Gratiani necessaria extant, huc revocare. Imò & quæ in Concilio Tridentino adeoque in libris Juris ad rem per-

tinencia traduntur, huc quoque, quantum necessitas postulabit, transferam, ut ita plenior sit præfens tractatus: dum tamen vestra, Auditores, benevolentia attentionem & audiendi diuturnitatem mihi docenti accomodet.

IN TIT. I. LIBRI PRIMI

De summa Trinitate & Fide Catholica.

SUMMARIA.

1. Ratio ordinis.
2. Quid circa SS. Trinitatem sit credendum.
3. Error Joachimi Abbatis & Almarici Carnotensis.
4. Quid quislibet credere teneatur.

**A**uspicaturus hoc opus suum Gregorius IX. primò omnium collocat Tit. De summa Trinitate & Fide Catholica, tamquam basim reliquorum Titulorum subsequendum, imò omnium actionum nostrarum. Etenim in Deo (inquit D. Paulus) vivimus, movemur & sumus, Act. 17. circa fin. De fide Catholica his verbis disserit D. Augustin. Serm. 38. de tempore, Nullæ, inquit, sunt majores divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major scientia, quam est fides Catholica, quæ peccatores omnes salvat, cæcos illuminat, fideles justificat &c.

Quare meritò hic Tit. præmittitur: qui duobus constat capitulis, desumptis ex Concilio generali Lateranenfi sub Innocentio III. ut habet inscriptio: quorum priore Concilium edic formam fidei suæ, videlicet ut cum eo credamus Deum esse trinum & unum; trinum in personis, nempe Patre, Filio & Spiritu Sancto, & unum quoad essentiam divinam, quæ una & simplex est in iisdem personis, coæterna, coequalis & omnipotens, unum universorum principium: Christum ex Maria semper virgine humanam carnem induisse, operante Spiritu Sancto, eundemque passum & mortuum secundum humanitatem: deinde descendisse ad inferos quoad animam, resurrexisse verò quoad corpus, & cum utroque conscendisse caelos. Inde in fine sæculi venturum judicem vivorum & mortuorum, redditurumq; singulis secundum opera sua. Ecclesiam quoque fidelium unam & universalem esse, in qua idem ipse Christus Sacerdos est & sacrificium, cujus in Sacramento altaris corpus & sanguis verè continetur, post

consecrationem à Sacerdote ritè ordinato factam, qui vice Christi id efficit.

Meminit & hoc cap. Sacramenti baptismi, quod prodesse ajunt ad salutem tam parvulis quam adultis, in forma tamen Ecclesiæ à quocumque collatum; & si post susceptum baptismum quis in peccatum prolabatur, superesse poenitentiam, quâ peccatum eluatur. Denique beatitudinem pollicetur non solum virginibus & continentibus, sed & conjugatis, si rectè crediderint, & probè vixerint. Et hæc cap. prioris est summa.

Posteriori cap. rejicitur sententia Joachimi Abbatis monasterii Florentis, quam ille falsò collegerat ex Petro Lombardo Magistro Sententiarum, quòd scilicet in Patre, Filio, & Spiritu Sancto non solum trinitas esset, sed & quaternitas: trinitas, ratione trium personarum, & quaternitas ratione divinitatis, quæ tribus personis communis est. Improbatur quoque doctrina Almarici Carnotensis, quam textus non tam hæreticam quam insanam vocat. Quænam autem ea fuerit, idem textus non aperit, sed cui lubet videat Directorium Inquisitionis p. q. 7. & Hostiensem hic in fine.

Movet hoc loco quæstionem Innocentius IV. an prædictos articulos fidei, priori capitulo recensitos, quislibet credere teneatur? Et putat in simplicioribus, & fortè, ut addit, etiam in omnibus laicis adultis sufficere, si credant Deum esse, eundemque remuneratorem omnium bonorum, juxta illud ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se sit remunerator: cæterum satis esse, si simpliciter credat, subjiciendo scilicet se fidei Ecclesiæ. In Clericis, qui Ecclesiæ præsumunt, requiri vult, ut articulos singulos fidei explicitè & distinctè teneant, can. 1. 2. & 3. Dist. 38. Verùm hæc latius non persequor: sed videri possunt D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. cum seqq.

seqq. & Greg. de Valentia Tomo 3, Summa Theol. Disput. 1. qu. 2, puncto 3, cum seqq. Nobis sufficiat

cum Innocentio & Panormit. hanc quaestionem attigisse duntaxat.

IN TIT. II. DE CONSTITUTIONIBVS.

SUMMARI A.

1. Constitutio quid?
  2. Alia sunt Generales, alia Particulares.
- P**remisso igitur Titulo De summa Trinitate & fide Catholica, tamquam basi totius operis, subjicitur hic Tit. De Constitutionibus, ex quibus hoc jus nostrum præcipue constat est.

Est autem Constitutio, quod Rex vel Imperator constituit, *can. Constitutio Dist. 2. c. § Sed & quod Principi Inst. De iur. nat. gent. & civili.* Item & quod constituit S. Pontifex, *cap. 1. eod in 6.* Sed & receptum est, ut statuta inferiorum, veluti Legatorum Apostolicæ Sedis, Constitutiones nominentur, *cap. 1. inf. De locato.* Item & Episcoporum, & collegiarum Ecclesiarum, *cap. Cum omnes 6, & cap. seq. h. tit.* licet horum constitutiones rectius statuta appellentur, *cap. 2, eod in 6.* Eadem est ratio Decreti & Canonis, ut & hæc interdum Constitutionis nomine censentur, *c. 1. & 4. h. tit.*

Hinc duplex genus Constitutionum Generalium & Particularium. Generales omnes omnino ligant, *cap. 1. & cap. 5 h. tit.* de quo fusius paulò post: particulares non nisi subditos particularium locorum, quamdiu in eodem territorio sunt: nam extra territorium jus dicenti impunè non paretur, *cap. 2. eod in 6. & l. fin. D. De iurisdic. Neque unquam constitutio ad præterita negotia debet respicere, cap. 2. eod. nisi id disertè exprimat in ipsa Constitutione, c. fin. h. tit.* Et quamvis explorati juris sit, Constitutiones generales derogare prioribus constitutionibus generalibus, ubi inter se sunt contrariæ, nullâ etiam harum mentione factâ; non tamen statutis & consuetudinibus derogant particularibus, *cap. 1. eod. in 6. ubi & ratio redditur, quia scilicet summus Pont. eas possit probabiliter ignorare.* Demum Constitutiones à secularibus latæ de personis & rebus Ecclesiasticis nullam vim habent, quia à sæculari jurisdictione exemptæ sunt, *c. Ecclesia S. Maria h. tit. & infra latius.*

IN CAPIT. PRIMVM.

SUMMARI A.

1. Canonum auctoritas.
2. Canonum statuta observanda in judiciis Ecclesiasticis.
3. Ius Canonicum & Civile in suo quodque foro observandum.
4. Quem modum in procedendo & iudicando servare debeat iudex.
5. Quando superiorem consulere.
6. Consultationes iudicum hodie sublata.
7. Taxatur inscruia Advocatorum & iudicum.
8. Iudex cui deferre debeat, iuri communi, an statuto vel consuetudini contraria.
9. An S. Pontifex canonibus & Princeps legibus sint subiecti.

**C**anonum statuta custodiantur ab omnibus: & nemo in actionibus, vel judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed illorum auctoritate ducatur.

Hoc Cap. desumptum est & huc translatum ex Concilio Meldensi, ut restatur ipsa inscriptio, quod Meldis ad Meldriam Galliarum fluvium

à tredecim Episcopis Galliarum anno Dom. 845. celebratum est: non minus tamen à nobis & cæteris Christianis recipiendum, cum auctoritate publicâ Gregorii IX. in hoc Decretalium opus relatum sit. Etenim tum hic, tum pluribus aliis locis observandum est, & retinendum, ut si quæ capitula ex particularibus Conciliis, vel ex veteri Testamento, vel ex D. Augustino, Hieronymo, aliisque Patribus, vel etiam ex Jure civili, his aliisque libris Decretalium inserta sunt, illa tamquam generalia, & publicâ auctoritate sancita agnoscamus & acceptemus; memores illius Justiniani Imp. *in l. 1. § sed neque C. De vet. iure enucl.* Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimus; quod & à Bonifacio VIII. repetitum est *in cap. Si Apostolica 22. De prebendis lib. 6.*

Itaque ex hoc cap. discimus, Canonum statuta (sive mavis Jus Canonicum) in actionibus & judiciis Ecclesiasticis observanda esse. Idem cavetur & *in cap. 5. eod.* De iure civili id ipsum

cantum existat in *l. Leges 9, C. De legib. Leges sacratissimæ* (inquiunt Valentin. & Martianus AA.) quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi præscripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent, vel permissa sectentur. Ut hinc sententia contra Canones vel leges civiles lata nullius momenti sit, *cap. 1. inf. De sentent. & re iudicata, & l. Nemo C. De sent. & interloc. om. iudicium.*

3 Ergone utrumque Jus Canonicum & Civile in utroque foro, & ecclesiastico & civili, usurpandum est promiscue & absque discrimine? Minimè; sed quodlibet in suo foro, puta Jus Canonicum in foro ecclesiastico, & Jus civile in foro civili sive sæculari, *cap. 2, & ibi Gloss. & Phil. Francus De arbitris lib. 6.* Constat enim jurisdictionem ecclesiasticam re ipsa distinctam esse à sæculari jurisdictione; ita ut hæc rebus humanis, illa verò divinis & ecclesiasticis præsit, *can. Cum ad verum can. Duo sunt Dist. 69. Novel. 6. Quomodo oporteat Episcopos &c. in princ. cap. Novit. 3, in princ. inf. De iudicis, ubi latius dicam, & cap. Per venerabilem 11 § rationibus inf. Qui filii sint legitimi, juncto cap. Solita 6. inf. De majorit. & obedientia.* Unde necesse est, ut utrumque seorsim in suo foro servetur, ad iam juris. Nisi quod ex consensu & comprobatione utriusque, tam Summi Pont. quam Imp. eò hodie decussum sit, quod ea, quæ jure civili decisa existant, rectè quoque transferantur ad forum Ecclesiasticum, & è diverso quæ à jure Canonico statuta sunt, itidem rectè ad forum civile accomodentur, sicut constat ex *cap. 1, De novi operis nunciat.* Ubi his verbis Lucius Pont. Sicut leges, inquit, non dedignantur sacros Canones imitari, ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adiuvantur. Idem & jure civili de sacris canonibus à se receptis testatur Imp. Justinianus, *Novel. 83, § penult. Ut Clerici apud proprios Episc. conven.* Quod & confirmat hodierna praxis Advocatorum, qui utrumque jus in quavis causa adducunt, sive ea ecclesiastica sit, sive sæcularis. Idque tum potissimum, ubi alter utrum jus in proposita aliqua causa deficit; nam tunc alterum, quo casus deciditur, rectè advocatur in subsidium in utroque foro, *per text. in d. cap. 1.* Ad eò ut si contra factum sit à iudice, seclus scilicet judicando, quàm dicitur Jus Canonicum vel civile, omninò ejus sententia irrita sit, *d. cap. 1, De sent. & re iudic.* In quo tamen declaratione opus est, ut si Jus Canonicum

apertè dissentiat à jure civili, vel è diverso, quod tunc utriusque juri stetur, sed separatim in foro suo, ut ante meminimus, *per text. in cap. 2. & ibid. Gloss. & Francus De arbitris in 6.* Nisi Jus civile peccatum contineret, veluti in usuris & concubinato, in præscriptione malæ fidei, & similibus, quæ à jure civili permittuntur, *100 tit. D. & Cod. De usuris, l. 3, D. De concubinis & l. unica circa fin. & ibi latius notat gloss. C. De usucap. transfor.* verum de jure Canonico corriguntur, quoad utrumque forum, propter peccatum, juxta regulam generalem *cap. fin. inf. De præscript.* quæ derogatur omni constitutioni, omni que juri & consuetudini, quæ absque mortali peccato non potest observari. Adde, nisi de personis & rebus ecclesiasticis agatur, quo etiam casu non ad Jus civile, sed ad Canonicum recurritur, *per text. in cap. Ecclesia S. Maria inf. h. i. quod latius ibidem examinabitur.*

Ceterum cum Judex teneatur procedere & 4  
judicare secundum præcepta juris, ut jam probatum est, quæritur, quem modum servare debeat Judex? Et quidem si Jus sit certum & liquidum, id omninò servare tenetur, absque hæsitacione, cum ipse minister juris sit, *per hunc text. & in cap. 1, inf. eod. & Novel. 82, cap. penult. De iudicibus:* sin obsecum, sed interpretem habeat consuetudinem, hanc retinebit, *l. Minim. 23, & l. Si de interpretatione 37, D. De legib.* Optima enim legum interpretis est consuetudo, *d. l. 8 de interpretatione &c. Cum dicitur 8, inf. De consuet.* Ub: verò hoc utrumque deest, variaque est juris interpretatio, benigniorem partem sequetur, *per text. in l. Benignius 18, D. De legibus, l. penult. vers. sed in re dubia D. De his qua in reitam. delentur & cap. fin. inf. De transact.* secundum juris regulam, quæ jubet, semper in dubiis benigniora præferenda esse, *l. Semper in dubiis D. De R. l.* Quod si benignior pars non appareat, ad simile Jus recurrat Judex, si eadem æquitas suaserit, *l. Neque 20, cum 2, seqq. D. De legib. cap. 4, inf. De confirmat. utili vel inut. Panorm. hic n. 14, Decius num. 26, & Ferrerius num. 28,* juxta illud vulgare pronuntiarum, Vbi eadem ratio est, idem quoque Jus statui debet, *l. Illud 32, D. Ad Leg. Aquil. l. Si postula verie 27, § ratio D. Ad L. Jul. de adul. & l. 1, § hoc interdictum D. De fonte.*

Atque his omnibus deficientibus, superiori- 5  
rem, qui legem tulit, adire debet, *l. fin. C. De legibus.* Quod tum demum exaudiendum est, ubi Judex nullâ ratione se explicare potest, vel per

per se, vel peritiores consulendo, sicut monet Decius hic num 27.

6 Verum hodie ex *Novel. 124. Ut iudices non expectent sacras iustiones*, sublatae sunt hae iudicum consultationes à Principe, sed iubetur iudex, re perfecta è discussa, ferre sententiam, quam ipse iustam & legitimam arbitrabitur: in quo prudens iudex solet, priusquam sententiam ferat, consulere Jurisperitum bonum & versatum; ne si aliter per imprudentiam læserit partem, faciat litem suam, hoc est, condemnetur parti læsæ in id quod interest, tit. *Instit. De obligat. qua quasi ex delicto nascitur in princ.* quippe imperitia culpæ annumeratur, l. *Imperitia D. De reg. iur.*

7 Unde videntur mihi iudices & Advocati valde in se ite agere, cum vel cō iure, vel ratione, aut similitudine juris, allegant tantummodò Bartolum & Baldum, vel alios Doctores, pro decisionibus causarum suarum, non considerantes, quibus iuribus, vel rationibus utantur: quando nihil meā sententiā tam controversum est, quod non iure, aut juris ratione, vel similitudine decidi possit, saltem probabiliter, dummodò studium & industria accesserit. Quo facto utile fuerit, ad maiorem confirmationem etiam Doctores adhibere tamquam in eandem sententiam concurrentes.

8 Sed quid si statutum vel consuetudo loci ex ter juri communi contraria, cui magis deferret iudex, iurine communi, an statuto vel consuetudini? Et rectè obtinuit apud Doctores nostros, quòd magis statuto vel consuetudini contraria, si tamen ea à ratione non abhorreat, cap. *hinc inf. De consuet. l. Omnes populi & ibi late DD. legib. & aperta sententia sit statuti vel consuetudinis contraria. Sin obscura aut minus plena, hac specie statutum vel consuetudo ad jus commune revocatur, & interpretationem sive suppletionem ab eo accipit, per text. eleg. in l. 2. C. De noxal. actionib. & cap. Cum dilectus. 8. inf. De consuetud. Quod hanc rationem habet. Cum enim statutum vel consuetudo juri communi contraria sit odiosa, ut potè pugnans cum jure communi, quod favorabile est, ut potè generaliter probatum, & receptum ab omnibus, ideo statutum vel consuetudo strictè accipienda est, ut ita, quantum fieri potest, à jure communi non recedatur, cap. *Qua à jure communi de R. l. in 6. juncto cap. Odis eod. tit.**

9 Quærunt hic Doctores, an summus Pontifex

Canonibus subjectus sit. Idem quærunt de Imperatore, quoad leges suas civiles. *Gloss. hic simpliciter subjectos negat, per text. in l. Princeps 31. D. De legib. & can. Facta, cum aliquot seqq. l. X. q. 3. Alii contrà adserunt, saltem quod attinet ad jus divinum vel naturale. Tertii verò distinguunt, inter vim coactivam (ut loquantur) & vim directam, ut quoad illam uterque solutus sit; cum hi ab alio, neque à se ipsis cogi possint: ut verò quoad vim directivam uterque subjectus sit, quia æquum est Principem eodem jure uti, quod in alios ipse statuit, l. 1. in princ. D. Quod cuique juris in alium stat. & cap. Cum omnes 6. inf. hoc tit. D. Thom. 1. 2. quest. 96. art. 3. Felin. hic num. 25. Covarr. inc. Alma mater parte 1. §. 1. num. 5. De sent. excommunicat. lib. 6.*

Ego sententiam Ferreti secutus, hic sub nu. 49 cum seqq. puto S. Pontificem Canonibus & Imperatorem legibus civilibus nequaquam solutos esse. Rationes Ferreti non adfero, sed potissimum his argumentis ducor. Quæ utroque jure constituta sunt, pertinent ad jus vel divinum, vel naturale, vel humanum. A jure divino nemo omnino exemptus est, eo quòd Deum auctorem habeat, cui tamquam superiori & S. Pontifex & Imperator parere tenetur: inferior verò superioris legem infringere non potest, cap. *penult. inf. De majorit. & obedientia & can. Inferior sedes Dist. XXI.* Similiter nemo exemptus est à jure naturali, cum jus naturale dicatur (intellige ut distinguitur à jure naturali, quod & ceteris animantibus commune est) quod ratio naturalis inter omnes homines constituit, ac proinde perpetuum & immutabile est, §. 1. & §. penult. *Instit. De jure natur. gent. & civil.* Undè necesse est S. Pont. atque Imperatorem hoc jure restrictum esse, nisi velint rationem exuere & bratis ad simulari.

Quoad jus humanum ideo uterque intelligitur subjectus, quòd sponte suā se subjecerint juri humano, cum alioqui liberi essent, ob prærogativam dignitatis, d. l. *Princeps & can. Facta cum seq. l. X. quest. 3.* Licet enim, inquit Alexander Imperator lex Imperii solemnibus juris Imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium imperii est, quàm legibus vivere, text. est in l. *Ex imperfecto 3. C. De testam. & text. nobilis in l. digna vox 4. C. De legib.* Leo IV. S. Pont. ideo, ait, permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut quod patres nostri sive in sacris Canonibus, sive mundanis affixere legibus, excedere

minimè debeamus. Ergo § Pont. & Imperator cum se sponte subjecerint Canonibus & legibus, ex consensu suo & tacito quodam pacto alligantur. Nec mirum, si summus Princeps juri se submitrat, cum & superior Judex jurisdictioni inferioris se subicere possit absque vitio, *l. Est receptum 14 D. De jurisdic.* Quare æternà dignus est laude Imperator modernus Rudolphus II. qui cum simpliciter adiretur, ut sententiam in prætorio suo laram rescinderet, vel moderaretur, prudenter respondit, ut viderent Consiliarii sui, an & quantum posset de jure, eo ipso agnoscentes se subiectum juri, uti habeo ex Assessoris ejusdem prætorii.

Neque movet, quòd § Pontifex vel Imperator cogi non possit: non enim hoc arguit eum liberum esse à juris nexu, cum ne quidem ad jus divinum vel naturale, cui tamen omninò subiectus est, à se vel ab alio cogi possit, nisi velit. Ex quibus sæpius apud me constitutum est,

§ Pontificem Canonibus, ut & Imperatorem legibus civilibus, saltem ex consensu suo subiectum esse: exceptis tamen casibus, qui arbitrio suo à jure sibi reliqui sunt; ut sunt contra legem novam, ubi Respubl. postulat, *l. 1. § l. 2. D. De constitut. c. Non debent 8 in princ. inf. De consanguinit. & affinit. & c. 1. hoc tit in 6.* Item remittere delinquenti poenam publicam, vel gratiam alicui facere, ne lege aliquà teneatur, *d. l. 2. § l. Rescripta De precib. Imp. offer. cap. Innotuit 20. inf. De elec. & c. Postulasti 4. inf. De concess. præbenda.* Item leviter alteri præjudicare, ut in specie *l. 2. § l. 4. C. d. tit. & in l. 2. § si quis à Principe D. Ne quid in loco publico: non autem graviter. l. Nec avus 4. C. De emancipat. liber & l. Meminerint 6. C. Unde vi; ubi hæc ratio redditur, ne inde injuriarum nascatur occasio, unde jura nascuntur. Planè ex necessaria vel justa causa potest Princeps alteri auferre rem suam, sed restituito rei prætorio, *l. 1. C. In quibus causis servi & l. Venditor 13. § 1. D. communia prædior.**

In Cap. Nam concupiscentiam 4.

SUMMARIA.

1. Transgressio legis humane an peccatum continent.
2. Sententia negans Auctori.
3. Qualitates requisitæ ad hoc, ut subditos obliget lex.
4. Promulgata sit oportet; & quando ex tunc obligare incipiat.
5. Constitutiones Pontificum an sufficiat Roma promulgatas esse.

**E**X hoc Cap quidam effici putant, quòd transgressio legis humane peccatum contineat, hoc est, quod is, qui contra legem facit, incurrat peccatum: sed minus verum est, cum hæc potius sit eius sententia, quod lex ideo bona sit, quia per prohibitionem suam omnia mala, quæ inde sequi possunt, prohibeat: veluti: cum simpliciter prohibet concupiscentiam, censetur eo ipso interdiceret omnium rerum concupiscentiam. Item & illorum sententia defendi fortasse potest, qui existimant, transgressionem legis esse peccatum, sicut communiter à Theologis & Canonistis asseritur, non tantum quoad leges divinas, verum etiam quoad humanas, teste Navarro, in *Manuali cap. 23. nu. 48.* Quam videtur confirmare Apostolus, *Rom. 13. Omnis anima, inquit, potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo: qua sunt autem à Deo, ordinata sunt. itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Hæc D. Paulus.

2. Verum hæc sententia omninò mihi non præ-

bat, quippe cum videam alienationem dotis, & renuntiationem hæreditatis paternæ, improbatas esse à jure civili, *l. unica § cum lex C. De rei uxoria act. tit. In sit in princ. Quibus alien lic. § l. 3. C. De collationib. & tamen confirmantur iuramento, cap. Cum contingat 28. inf. De jurejur. & cap. 2. eod. tit. lib. 6. c. 2. De pactis in 6.* At si illa prohibitio alienationis dotis vel renuntiatio hæreditatis paternæ peccatum contineret, non posset confirmari iuramento, propter iuris regulam, non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum, *c. Non est obligatorium. De R. I. in 6. cap. Quando 18. De jurejur. & Auth. Quod eis C. De nuptiis.* Neque enim probabile mihi videtur, Principem sæcularem ligare posse aut velle conscientias subditorum suorum ex transgressione legis suæ, nisi ubi contemnitur eius auctoritas, iuxta illud, quod ante ex D. Paulo recitavimus, aut scandalum oriatur proximo ex legis transgressione, aut lex concurrat cum lege divina vel naturali. Quibus casibus magis est ligari conscientias transgressorum: ac propterea quoad leges ecclesiasticas propius crediderim in transgressione earum peccatum admitti, quòd ecclesiasticis superioribus ius & potestas sit in animas nostras, *cap. 2. & 4. inf. De majorit. & obed.* Nolim tamen huic meæ sententiæ de legibus civilibus vel sæcula-

cularibus mordicus adherere; verum sufficit eam obiter indicasse; ideoque legendos cenfeo hac de re D. Thomam 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. Didac. Covarr. *in cap. Peccatum p. 2. §. 5. nu. 2. cum seq.* Navar. *d. nu.* 48. & Azorium *Instit. Moral. lib. 5. De legibus cap. 6.*

- 3 Cæterum ut lex vel constitutio obliget subditos, necesse est eas habeat qualitates, quas ex Isidoro recenset Gratianus *can. Erit autem Dist. 4. & D. Thom. in 1. 2. q. 96. art. 3.* Erit autem lex, inquit Isidorus, honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem loco temporisque conveniens, manifesta, &c. Ubi per naturam & patriæ consuetudinem intelligit, ut non sufficiat, legem esse honestam, iustam, & possibilem, simpliciter in se spectando legem; sed & accommodaram naturæ ac moribus esse oportet. Alioquin impune lex non recipitur, cum non obliget, antequam usu sit recepta, *can. Leges cum cum seq. ead. Dist. 4.* ut infra latius confirmabo.
- 4 Præter has qualitates requiritur, ut & lex publicè promulgetur, & tempus statutum ad obligandum efflaxerit; nam antè non inducit obligationem, *can. In istis §. leges d. Dist. 4. Panor. in cap. 1. n. 9 inf. De postulat. Pralat. Navar. in Manuali c. 23. num. 40.* Et probat textus apertus in *Novel. 66. Vi facta nova constitutiones &c.* quòd lex non antè liget subditos, quàm post duos menses à tempore promulgationis factæ in provincia. Et licet hæc Novella loquatur de constitutionibus novis testamenti concernentibus, tamen idem exaudiendum esse de qualibet constitutione nova, rectè tradit ibidem Glos. propter generalem Tit. inscriptionem, sub his verbis, *Vi facta nova constitutiones post earum insinuationes post duos menses valeant*; & ibi quoque notat Bart. & Cuiac. Quod indubitatum est de Constitutionibus Imperatorum.
- 5 At quæstio est, an idem obtineat in Constitutionibus summorum Pontificum, ut earum promulgatio, antequam obligent, in singulis provinciis necessariò requiratur? Quod certe videtur, propter regulam generalem, receptam ab omnibus Doctoribus, quòd ubi aliquid definitum est à iure civili, quòd decisum non existat in iure Canonico, tunc in subsidium recurratur ad ius civile, & è converso, *per text. in cap. 1. De novi operis nuntiatio. cuius & sup. ad cap. 1. meminimus*; sed de Constitutionibus summorum Pont. nihil eiusmodi in iure Canonico existat,

ergo eadem promulgatio in singulis provinciis, idemque fluxus duorum mensium, priusquam obligent, exigitur. Nisi quòd repererim Pium IV. in Constitutione sua super declaratione temporis ad observanda tempora Concilii Tridentini, distertè dixisse, novas constitutiones non nisi post certum tempus vim suam habere, idque iure communi ita cautum esse. Quibus verbis haud dubiè intelligit ius commune *in d. l. Novel. 66.* cuius etiam sententiæ recensentur multi D. D. a Decio, *in cap. 1. num. 44.* & Felino *ibid. num. 7.*

Econtra sunt, qui aliter sentiunt, videlicet sufficere Constitutionem summi Pontificis promulgari in Curia Romana, quos refert & sequitur Greg. de Valentia, *Comment. Theol. tomo 2. d. 1. part. 7. q. 5. De lege humana Puncto 5. vers. Sed quamvis cum seq.* Nam, inquit, quòd attinet ad ecclesiasticam gubernationem, quæ videlicet in spiritualem finem refertur, tota Ecclesia censetur esse una respublica sub uno Pastore Christi Vicario; ergò sufficienter intelligitur lex ecclesiastica promulgari Romæ. Secundò, addit hoc absurdi sequi, quòd multæ Decretales epistolæ Pontificiæ non obligent in multis provinciis, quippe non promulgatæ.

Verum hæc rationes si rectè inspiciantur, non confirmant hanc sententiam; quia non video, quare prior ratio etiam non conveniat Constitutionibus Imp. sub quo tamquam una republ. degunt omnes subditi sui, *can. Cum ad verum, & can. Duo sunt Dist. 69.* & tamen aliter statutum est de Constitutionibus Imperatoris in *d. Nov. 66.* Deinde quòd addit de absurdo, sibi potius imputandum videtur, quòd in defectum iuris Canonici accesserit ius civile voluerit, *in d. c. 1. De novi operis nuntiatio.* Nihilominus qui priorem sententiam tuentur, illam limitant, nisi sit consuetudo in contrarium, ut apud eos videre est: & ratio est vis consuetudinis, quæ optima legum interpret dicitur, *l. Si de interpretatione 37. D. De legib. & cap. Cum dilectus 8. inf. De consuetud.* sicut hodie usitatum videmus in Curia Romana.

Neque nos turbare debet, quòd Constitutiones in Curia Romana publicatæ hac ratione extendantur ad remotissimas quoque provincias Christianorum. Respondetur enim, non ideo tamen statim obligare, nisi etiam receptæ sint moribus subditorum in provinciis, ut antè probavi ex *can. In istis §. leges & can. Statuimus Distinct. 4.* Ut vix intersit, Constitutiones

S. Pon-

S. Pontificis Romæ promulgata, etiam in provinciis publicentur, vel non publicentur, cum, ut dixi, antè non obligent, quàm usu subditorum sint comprobata, vel omnium, vel pro majori parte alicujus populi vel universitatis. Dico, pro majori parte; nam quod fit à majori parte perinde est, ac si omnes egissent, *l. Quod major 19. D. Ad municipal.* Non quòd constitutionum vel legum vis & auctoritas pendeat ex arbitrio subditorum, sed quòd publicari videantur sub conditione, si recipiantur saltem à

majori parte. Ita Navar. in *Manuali cap. 23. num. 41.* ex sententia Dominici à Soto, aliorumque. Et rectè: nam cum antea docuimus, ex *can. Erie autem Dist. 4.* ad inducendam legem non sufficere, ut ea honesta, justa, possibilis sit, sed & accommodata naturæ sive moribus subditorum: sequitur eam à legislatore hac conditione ferri & promulgari, dummodò recipiatur à subditis; de quo argumento fufissimè Felinus in *cap. 1. num. 6. vers. Lex nova cum num. seqq. inf. De renga & pace.*

## In Cap. Ecclesia S. MARIE 10.

## SUMMARI A.

1. Facti species.
2. Laicus in personas & res Ecclesiasticas non est auctoritas.
3. Ab executione inchoari causa non potest.
4. Ecclesia & persona Ecclesiastica exempta à jurisdictione dominorum secularium.
5. An idem locum habeat in Principe, qui superiorem non habet aut agnoscit.
6. Sententia negans probatur.
7. Princeps non potest quidquam statuere in favorem Ecclesiarum vel rerum Ecclesiasticarum, precipiendo vel vetando.
8. Secus, si in vim privilegii quid constituat vel indulgeat.
9. Respondetur ad contraria argumenta.
10. Intellectus can. Si tributum xi. q. 1. & can. Tributum xxii. q. 8.

**C**elebris huius Decretalis decisio est. Cum enim Ecclesie S. Mariæ in via lata Romæ prædia alienata fuissent in Monasterium S. Silvestri, & postea revocata propter statutum Basiliæ (hic Basilius fuit Præfectus prætorio, & simul Præfectus urbi Romæ, nomine Odoacris Regis Italorum, qui, expulso Augustulo Imperatore occupaverat Romam, & totam Italiam, sicut constat ex Baronio in *Annal.* ad annum 476. in princ. quo inhibebatur alienationem prædiorum, ornamentorum & Monasteriorum Ecclesiasticorum, ut videre est in *can. 1. Dist. 96.* ubi hoc statutum refertur, & improbat. Undè aditus hac de re Innoc. III. S. Pont. mandat prædicta prædia ab Ecclesia S. Mariæ antè alienata, & postea per Senatorem Romanum recuperata, restitui eidem Monasterio, non convecto, non confesso, non convi-

cto: neque alienationem ideo infirmam esse, quòd Basilius eam inhibuisset statuto suo; rationem hanc reddens (quæ regula loco in principio huius Cap. præmittitur) \* quòd laicis, etiam religiosis (id est piis) super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi: à quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Ita textus noster. Rem si hoc pacto concipiamus, ut planè videtur, nulla erit difficultas in formanda facti specie, quam alii Interpp. involvunt simul cum *cap. 3. & cap. 4. inf. Ve lite pendente &c.* quæ alio spectant.

Sed ad rationem textus nostri redeamus, in qua versatur tota utilitas huius Decretalis: quamvis & aliam rationem hic subindiceret Innoc. III. ob quam conveniat etiam restitui prædia, videlicet quòd Monasterium, cum ei prædia subtraherentur per Senatorem Romanum, non fuerit conventum, id est, non citatum, non confessum, vel non convictum; \* sed statim ab executione, nullâ præcedente cognitione legitima, prædisprivatum fuerit, contra *l. 2. C. Si per vim vel alio modo & c. l. 1. C. De execut. rei jud. l. Si cum nulla 58. D. De re judic. & c. 1. 11. quæst. 1.* Quibus iuribus prohibetur causa inchoari ab executione; adèd ut ne quidem ex rescripto Principis id fieri possit, *l. Sed etsi 4. cum l. seq. C. Si contra jus vel utilitatem publicæ & c. l. 6. C. Unde vi;* quia negotiorum merita, ut pulchrè ait *d. l. 2.* partium adfertione panduntur.

Verùm, relicta hac ratione, aliam consideremus, quæ maioris est momenti, eo quod generali quâdam regulâ eximat Ecclesias & personas

nas ecclesiasticas à jurisdictione dominorum secularium. Eadem ratio penè repetitur in *cap. fin. De reb. Ecclesia non alien* multisque aliis juribus confirmatur. Nam quod ad Ecclesiasticas personas attinet, quod hæc minimè subjectæ sūt jurisdictioni secularium, probat præterea textus in *can. 1. cum aliquot seqq. xi. q. 1. can. Denique Dist. 96. in cap. At si Clerici 4. in c. Qualiter 17. in c. Cum non ab homine 10. inf. De judiciis, in cap. 2. Ecce. Si diligenti 12. inf. De foro compet. & in cap. Si iudex laicus De sent. excommuni. in 6. Idem de personis & rebus Ecclesiasticis simul confirmat textus in *c. 4. De immunitate Eccles. ubi generale Conc. Lateranense sub Alexandro celebratum, præmissâ querelâ sui temporis, quo Clerici, eorumque bona peioris essent conditionis, propter onera, quæ ipsi à secularibus imponebantur, quàm fuerint sub Pharaone Tyranno, qui Aegyptiis omnibus, una cum possessionibus eorum, per Josephum in servitutem redactis, pepercit tamen Sacerdotibus Aegyptiis, imò ipsi ex publico alimenta decernebat, ut videre est *Gen. cap. 47. Prohibet tandem districtè sub anathemate, ne amplius quid in Clericos statuatur. Quod & prohibet textus in cap. Adversus 7. eod. de sumptibus ex Conc. Lateranensi sub Innoc. III. celebrato, præsentibus 400. Episcopis, & aliis Patribus 800. excepto tamen casu necessitatis vel utilitatis, quo illa onera quidem permittuntur, sed consulto prius summo Pontifice, ut addit ibidem textus. Quibus junge Conc. Lateranense sub Leone X. *Sess. 9. §. Et cum à jure; rationem hujus exemptionis adferens hanc, quod jure tam divino quàm humano laicis nulla potestas sit attributa in Ecclesiasticas personas; imò nec in res Ecclesiasticas, ut aperte testatur Conc. Romanum III. sub Symmacho Papa anno Christi cccclxxxv. celebratum, quod extat in Decreto Gratiani nostri, *can. 1. Dist. 96. ubi in fine inquit, quod solis Sacerdotibus de Ecclesiasticis facultatibus disponendi à Deo cura commissâ sit: unde & res Ecclesie Dei, sive Dominicæ dicuntur, in *can. Sint manifeste XII. q. 1. & in vafores eorum sacrilegi censentur, *can. Nulli XII. q. 2. & *can. Attendendum XVII. q. 4. Quo etiam fit, quod injuria fieri Ecclesie dicatur, si Clericus per Judicem seculari coërcetur aut damnetur, *c. 2. inf. De foro compet. nisi certis casibus, qui commodius à nobis tractabuntur ad *cap. Ceterum non ab homine 10. inf. De judic.**********

Non movet exemplum D. Pauli *Act. 24.* qui cum à Judæis accusaretur, Cæsarem appellavit,

ramquam Cæsarem superiorem Judicem agnosces: quia hoc fecit necessitate coactus, quod alium Judicem non videret, ad quem appelleret. Igitur in hoc juris civilis beneficio usus est, ut ad Cæsarem provocaverit. Unde D. Augustin. in *Dialogo contra litteras Petiliani*, ita scribit: *Si in adiutorium vestrum, etiam terreni imperii leges adsumendas putatis, non reprehendimus: nam fecit hoc Paulus, cum adversus injurios Romanum evemse esse testaretur. Extat in Decreto *can. Si in adiutorium Dist. 10. Idem igitur ex ratione textus nostri regulæ loco observandum est, quod nullus laicorum jurisdictionem exercere possit in Ecclesias, in personas & res Ecclesiasticas, utpote exemptas à jurisdictione secularium, licet etiam earum commodam ac favorem respiceret. Et hoc quidem constitutissimi juris est, per hunc textum & jura superius allegata, ubi scilicet agitur de jurisdictione superiorum à supremo Principe.**

At quæstio est, an idem retinendum sit in seculari Principe, qui superiorem non habet, ut est Imperator noster, vel alius superiorem non agnosces. Difficultatis ratio est, quod hic textus noster loquatur de Basilis & Senatore urbis Romæ, qui superiorem agnoscebat, ad quorum factum evertendum illa ratio adducta est; ita ut aliud in facto sive constitutione summi Principis dicendum videatur, *text. in cap. 1. & cap. 2. De novi operis nuntiatione* ubi intra Ecclesiam post novi operis nuntiationem factam proceditur juxta præceptum juris civilis. Item textus est in *cap. 1. inf. De juramentum. cap. 1. inf. De confessis. cum multis aliis, quos magno cumulo recenset, Felin. hic num. 37. quibus causæ Ecclesiasticæ ex legibus civilibus deciduntur. Nec sine ratione, cum leges Romanæ venerandæ dicantur, & divinitus per ora Principum promulgata, *can. fin. XVI. quæst. 3. & Proverbiorum 8. Per me, inquit Sapientia, Reges regnant & legum conditores Ecce. Non igitur decisio textus nostri cuiusque ratio ad Constitutiones Imp. aliorumque supremorum Principum protrahenda videtur, ne sic in personas & res Ecclesiasticas jurisdictionem rectè exercere possint. Quod spectasse videtur & D. Ambros. in Gratian. contra Auxentium his verbis: *Si tributum petit Imperator, non ei negamus: agri Ecclesie solvant tributum. Si agros desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum: tollat eos, si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego. Extat apud Gratian. in *can. Tributum XXI. quæst. 8. Ex quibus probari videtur, Imperatorem, aliosque supremos****

Principes, habere jus in personas & res Ecclesiasticas.

- 6 Quibus tamen non obstantibus, aliorum sententia verior est, qui existimant Imperatorem, aliosque Principes supremos, non minus quam inferiores dominos seculares, hac textus nostri decisione contineri, ut neque his permissum sit statuere in Ecclesiis, personas, & res Ecclesiasticas: cujus sententiæ est Panorm. hic num. 3 in fine, quem Felin num. 40. vers. recipe, & Decius, num. 88. cum aliquot segg. tacite sequuntur. Eiusdem sententiæ est Imola, hic num. 9. & Henr. Boich in cap. Quæ in Ecclesiis num. 2. supra eod. Neque dubito hanc communi calculo à D.D. nostris probari.
- 7 Eaque ad eod. obtinent, ut ne quidem statuere possint in favorem Ecclesiarum, vel personarum Ecclesiasticarum, per h. n. text. & notat Panorm. hic num. 10, hanc rationem reddens, quod legis virtus à potestate pendeat legislatoris, qui si excedat limites suæ jurisdictionis, impune contemnitur sive negligitur, l. fin. D. De jurisd. om. judic. At Imperatori, sive alteri Principi non competit jus aliquod in Ecclesias, personas, vel res Ecclesiasticas, ut hoc text. in can. Si Imperator, juncto can. 1. Dist. 96. Non igitur in Ecclesiis, personas, vel res Ecclesiasticas quid statuere possunt, propter jurisdictionis defectum. Et ratio textus nostri, cum ea generalis sit, itidem quoque evincit in supremo Principe, quod in inferioribus, cum & ille laicorum numero contineatur, can. Duo sunt XII. quest. 1. Ut sic omnes Constitutiones Imp. in Cod. & Novel. relatæ de personis & rebus Ecclesiasticis nullius momenti sint, & ne quidem ex honestate eas servari conveniat, ne scilicet ex earum observatione designetur quædam auctoritas in Principe seculari in personas & res Ecclesiasticas, ex sententia Panorm. hic num. 4. & num. 10.
- 8 Quod tamen ita exaudiri vult, ubi princeps in personas & res Ecclesiasticas disponit præcipiendo vel vetando, quia id auctoritatem & potestatem denotat. At secus est, ubi in vim privilegii quid constituit vel concessit, hac enim specie putat Panorm. leges sive Constitutiones Principis valere, eo quod privilegiari possit etiam non subditus, argumento legis Theodosii Imperatoris quæ refertur in cap. Novit. 13. inf. De judiciis. Verum id accipiendum est tantum propter vim privilegii, propterea quod Ecclesia ejusmodi Constitutio-

nes privilegiatas comprobare & acceptare possit, quod aliàs invitæ Ecclesiæ obtruderetur, contra l. invito D. De regulis juris.

Jam ad contraria argumenta respondeamus. Ad primum enim quod attinet, quod dictum est, decisionem textus nostri pertinere ad statuta inferiorum; non igitur eam produci oportere ad Constitutiones supremorum Principum; Responderetur, id factum fuisse, quod casus incidisset de statuto inferioris. Idem haud dubie decisum fuisse, si similis casus de constitutione supremi Principis accidisset, ob eandem rationem, quæ generalis est, tum per jura supra allegata.

Secundo argumento, desumpto ex cap. 1. & 2. inf. De novi operis nuntiati. atque aliis locis sup. à me citatis, quibus controversiæ ecclesiasticæ ex juris civilis præcepto dirimuntur, satis est ex eo, quod dixi ad cap. 1. supra hoc tit. quod scilicet utroque jure receptum sit, ut, si casus decisus non sit de jure Canonico, rectè in subsidium ad jus civile recurratur, & è diverso, ex d. cap. 1. De novi op. nuntiati.

Sed cur hoc cap. nostro contra disputamus, rejicientes jus civile in causis personarum & rerum Ecclesiasticarum? Ratio hæc est, quod hic tantummodò improbentur jura civilia, sive Constitutiones Principum seularium, quæ aperte & nominatim disponunt de rebus Ecclesiasticis, sive Ecclesiis, sive personis, quæ ad eorum jurisdictionem non pertinent. Ac proinde, si simpliciter ea admitterentur, facilè sibi arrogarent Principes potestatem in Ecclesias, personas & res Ecclesiasticas. Unde non nisi confusio oriretur utriusque jurisdictionis, ecclesiasticæ & civilis, quæ alioqui à se invicem distinctæ sunt, ut docui ad d. cap. 1. supra hoc tit. Ubi verò Princeps civilis sive secularis nihil de his expressè & sigillatim constituit, nulla ejus arguitur auctoritas, atque idcirco jus Canonicum eas Constitutiones etiam in Ecclesiasticis causis recipit, propter æquitatem. Hæc ex mente Panorm. aliorumque Interpp. hic. Ex quibus constat, quomodo leges civiles venerandæ dicantur, item Reges & Principes juxta discernere, Proverbiorum cap. 8. quia non solùm ex rei æquitate æstimatur, sed & ex constituentis potestate, ne scilicet terminos suæ jurisdictionis excedat; alioquin lex sua justa non est, ut docet D. Thom. 1, 2, quest. 96 art. 4, in Corpore.

Postremò ad d. can. Si tributum XI. quest. 1. Resp. 10

D. Am.

Divum Ambrosium eo loco loqui de agris tributariis: sicut eo tempore regulariter erant omnes agri, ex dispositione juris communis, l. Imperatores 7, D. De publicanis, l. 2, & 3, C. Sine censu vel reliq. fund. compar. non posse. Et sic cum hoc onere tributi transferant agri ad Ecclesiam; juxta vulgatam juris sententiam, quod res cum onere suo transferat ad alium; cap. Ex litteris circa fin. inf. De pignorib. cap. Pastoralis inf. De decimis, & l. Alienatio D. De contrah. empt. Panorm. in cap. Non minus num. 15, in fine De immunit. Eccles.

Quod attinet ad can. Tributum XXIII. quest. 8, loquitur is quoque de tributo antiquitus impo-

sito rebus Ecclesiarum, ut differre habet textus, in verbis, quod constitutum antiquitus: atque ideo tenetur Ecclesia idem agnoscere tributum, ut jam ante diximus. Quemadmodum etiam ubi res in feudum à Principe, vel alio domino seculari collata est Ecclesiarum: nam hac specie Ecclesia contra vassallitiam subire tenetur, etiam recognoscendo eundem dominum licet secularem tamquam judicem suum, cap. Verum 7, De foro compet. Qui casus singularis est in re feudali, quod ad judicem attinet, ut ibidem à me explicabitur. Conjunge quæ disseram sub Tit. De immunit. Ecclesiar. favente Deo.

## IN TIT. III. DE RESCRIPTIS.

## SUMMARIUM.

1. Titulorum: n. r. se connexio an necessaria.
2. Rescriptum quid.
3. Duplex est, aliud Gratia, aliud Justitia.
4. Rescribere soliti consulenti bus olim etiam I. C. I.
5. Hodie summus Pœnitentiarius Roma rescribit supplicanti bus quo ad certas causas.
6. Requisita in quolibet rescripto.
7. Quid juris in rescripto gratis ad beneficium.
8. Rescriptum posterius ad lites quatenus deroget priori.
9. Et posterius speciale generali.
10. Error Latina constructionis vitiat rescriptum.

Variè hunc Titulum Doctores nostri connectunt cum superiori, ut videre est hic apud Decium, tamquam necessaria sit Titulorum inter se coherencia, de quo integrum eap. scripsit Nic. Everhardi, in *Locis suis Legalibus*, hac inscriptione, *Locus ab ordine Rubricarum sive Titulorum*. Ego soleo hunc laborem tamquam nimis curiosum contemnere, cum res planè arbitraria sit auctori, quo ordine aut loco Titulos distribuatur, dummodò non permixtim & confusè: ut Tit. hic in Cod. est XXVI. libri primi, hoc verò loco tertius in D. Tit. De testib. subjicitur Titulo De fide instrum. in Cod. verò antecedit, ut & in his libris Decretalium. Quid igitur de connexionem sive continuationem Titulorum ita anxie disputamus? Ne autem fortuitò aut sine judicio videatur hic Tit. huc congestus, continuatio ejus hæc esse potest, quod cum præcedenti Tit. actum sit

de Constitutionibus, quæ ad omnes subditos pertinet, nunc ordine auctor tractare incipiat de Rescriptis, quæ singulariter impetrari solent à summo Pontifice quo modo scilicet ea accipienda sint.

Itaque rescriptum nihil aliud est, quam responsio, scripto data consulenti vel supplicanti, Consulenti, puta si Judex aut alius quispiam de re dubia consulat sanctum Pontificem, vel etiam Imperatorem, quid juris sit. Supplicanti, si eadem supplicet pro obtinenda gratia, vel administranda justitia; veluti pro beneficio, privilegio, vel dispensatione consequenda. Justitia, ut scilicet Judex delegatus, unus vel plures, supplicanti decernantur pro dirimenda controversia, aut ut ordinarius Judex officii sui moneatur.

Et hinc duplex genus Rescriptorum, unum Gratia, alterum justitiæ. De utroque agitur hoc Titulo, item in 6 & in Clementinis, præterea in Cod. Si contra jus vel utilitatem publicam, & c. cum Tit. seq. De diversis rescriptis. Hinc Marcellus, in l. penult. D. De restitut. in integ. ait, D. Antonium Prætori rescripsisse, videlicet consulenti: & Ulpian. in l. 1. §. eicui D. Ut in possess. legator vel fideicom. causa esse liceat, his utitur verbis, D. Pius ad Emiliam Equostrem rescripsit.

Ubi quoque observandum est, & Jurisconsultos olim consulenti bus rescripsisse, ut in l. Statu liberi 39. circa fin. D. De statu liberis, & in l. Aristot. 48. D. De manumiss. testam. Idque ideo, quòd ipsi ex concessione, & auctoritate principali

pali consulentibus responderent de iure; aded ut nefas esset iudicibus discedere ab eorum responsis, §. *Responsa Instit. de iure nat. &c.* In quo certe plurimum distant Jurisconsulti nostri temporis, quorum responsa nullam necessitatem iniiciunt iudicibus, nisi quatenus iure vel viva ratione iuris confirmantur.

Sed & apud Curiam Romanam usurpatum est in summo Pœnitentiario, ut in multis causis referibat supplicantibus, ex generali delegatione S. Pontificis, veluti quæ concernunt dispensationes matrimoniales ætatis minorum, vel membri alicuius necessarii ad Ordines vel beneficia Ecclesiastica: item ad plura beneficia simul obtinenda, cum similibus, uti latè tradit Octavianus Veltrius in *Tract. Rom. Aula lib. 1. cap. 1.* Ut in hoc summus Pœnitentiarius similis quodammodo sit priscis Jurisconsultis, de quibus antè diximus.

Ubi asi ad verendum est, quod in omnibus rescriptis S. Pontificis aut etiam imperatoris, si non expressè, saltem tacitè inesse intelligatur hæc clausula, *Si proccs veritate nitantur, cap. 2. hoc tit. vel hæc, Si ita est, prout narrat, c. Cùm oisim 25. hoc tit.* Alioquin rescriptum ipso iure nullum est, c. *Super litteris 20. hoc tit ubi susius dicemus.*

Item in rescriptis, quæ gratiam conferunt, exigitur, ut contra ius vel utilitatem publicam sint impetrata, *l. fin. C. Si contra ius vel utilit. publ. &c.* ut alterum non lædant, *l. Rescripta 7. C. de prec. Imperat. offeren.* aut saltem non nisi leviter, veluti si dilatio ad solvendum detur, aut removeatur per rescriptum, *l. 2. C. d. tit.*

Idem est de rescriptis ad litem, ut quamvis S. Pontifex vel Imperator causam demandare possint, ne observato iuris ordine procedatur, aut appellatio admittatur, *c. 1. h. 1. &c. Ex parte 13. inf. de off. & potest. iud. deleg. & c. dispendiosa Clem. de ju-*

*dic.* non tamen in dubio id mandato eius continetur, sed iuris ordo observandus est, *c. Causam que inter 28. hoc tit.*

Prius in rescripto gratiæ ad beneficium 7 Ecclesiasticum obtinendum requiritur, ut, si impetrans aliud habeat beneficium, id in supplici libello diserè exprimat; alias rescriptum non valet, *c. Adeo 17. h. 1.* Secus, si motu proprio alicui collatum sit beneficium, isque in ipso rescripto expressus valet enim tunc collatio beneficii, nulla etiam mentione facta aliorum beneficiorum, quæ impetrans possidet, *c. Si motu 23. de prabendis in 6. & c. 4. eod. tit. in Clem.*

Porro in rescriptis ad litem, si ab utraque parte diversa rescripta impetrata sint, posterius priori derogat, *c. Bona memoria 3. inf. de confirmat. utili vel inutili, c. Ceterum 3. §. si vero in secundo, c. Cùm contingat 4. §. sed hi inf. h. 1. & c. Pastoralis 28. §. præterea inf. de off. & potest. iud. deleg.* dummodò in rescripto posteriori mentio facta sit prioris; alioquin eius mentione non facta præfertur prius, *d. c. 3. & c. 2. in fine h. 1.* Sed & secundum rescriptum impetratum ab altera parte præfertur priori, etiam non facta mentione prioris si prior impetrans dolo vel negligentia non sit usus rescripto suo intra annum, *per text. in c. Si autem 9. c. Ex parte 1. & in c. Plerumque 23. h. 1.* Quemadmodum ubi & prius 9 rescriptum generale est, & posterius speciale; nam & posterius in specie expressa vel propofita derogat generali, *c. 1. & c. Pastoralis 4. §. quoniam autem inf. eod.*

Postremò est observandum, rescriptum S. 10 Pontificis non subistere, in quo error manifestus Latine constructionis admittitur, *c. Ad audientiam 11. h. 1.* quamvis aliud receptum sit in instrumentis & testamentis, *l. Imperator Titus 8. d. De statu hom. de quo vide Gloss. & Interpp. hic ad d. c. Ad audientiam.*

#### In Cap. Sicut Romana 1.

##### S U M M A R I A.

1. S. Pontifex & Imp. delegare possunt, submotâ appellatione.
2. Non obstante, quod appellatio contineat speciem defensionis.
3. Princeps non præsumitur iniquam fovere sententiam.
4. Rescriptum speciale quâ ratione deroget generali.
5. Rescripta Papa contra ius præsumuntur per importunitatem obtenta.
6. Non solet Princeps cum lassione alterius rescribere.
7. Mandatum per mandatores revocari & restringi potest.
8. Generi per speciem derogatur.
9. Clausula, remota appellatione, concernit Reip. favorem.

Senten-

**S**ententia hujus Cap. hæc est, quod ubi causa iudicibus, appellatione remota, delegata est, non possit pars, quæ ex sententia se gravatam conquisitur, appellare, vigore etiam rescripti, quo ei à S. Pontifice antea generaliter permessa fuit libera potestas ad appellandum, quia (ut hic subiicitur) speciale mandatum derogat generali.

**1** Ex hoc Cap. notant in primis Doctores, S. Pontificem posse causam delegare sub motu appellatione, hoc est ne à delegari sententia appelleretur. Idem est in Imperatore, l. 1 § fin D. A quibus appel. non licet. Cæteris iudicibus id minime permillum est, c. Super quæstionum 27 § si vero inf. De off. & potest. iud. deleg. & d. § fin. Cùm sic juris beneficium a jure communi litigantibus concessum non possit auferri, l. 1 in suo princ. D. De seriis. & cap. Indultum De R. l. in 6. Nihilominus permillum est litigantibus appellationi renuntiare, per text. in d. l. 1. § si quis D. A. quibus appell. non licet. & in l. fin. § fin. C. De temporibus appell. Idque ideo, quod quilibet possit renuntiare juri pro se introducto, l. fin. C. De pactis.

**2** Neque movet, quod contra textum nostrum à plerisque objicitur, appellationem idcirco à S. Pont. vel Imp. non posse inhiberi, quod speciem contineat defensionis, & subsequenter jure naturali sit introducta: quia hoc argumentum nullo jure probatur, nisi aperte constaret, iniquam esse iudicis sententiam, cap. Suggestum 15 inf. De appellat. juncto c. Pastoralis De sent. & re judic. in Clem. Nam hæc specie per hanc clausulam, appellatione submotâ, non excludetur appellatio: † neque enim præsumitur Princeps iniquam velle sententiam fovere, cap. Inter 9. inf. De sent. & re judic. c. Ex conquestione 10 inf. De restitut. spoliat. Atqui in dubio pro sententia præsumitur iudicis, c. In præsentia 6. inf. De renuntiat. c. Sicut 6. circa fin. inf. De sent. & re judic.

**4** Alterum in hoc Cap. majoris est difficultatis, videlicet de rescripto speciali, quâ ratione deroget generali, quo permittitur libera appellandi potestas; per speciale autem in aliqua causa admittitur appellatio Nam duo obstat videntur. Utrum, quod jus ex priori rescripto antè quæ situm in dubio non censeatur tolli, c. Decet De R. l. in 6. & c. Quamvis 8. h. n. i. in 6. Alterum est, quod, cum prius rescriptum consonum sit juri communi, quo in omni causa permittitur appellatio. l. Et in majoribus 20 C. De appellat. & c. De appellationibus 11. inf. De appellat. non possit illi derogari per posterius, nisi in hoc mentio prioris facta fuerit, per text. in 9.

3 De capella Monach. c. Nonnulli 28. inf. 28. inf. h. i. l. 2. & l. Rescripta C. De precib. Imp. offer. & l. fin. C. Si contra jus vel util. &c. Ut hinc rectè tradiderit Felinus in c. 1. num. 26. sup. De constitutionib. † quod rescripta Papæ contra jus præsumantur in dubio obtenta per importunitatem supplicantium, & consequenter sub vel obreptionis argui possint, uti falius dicam inferius, ad c. Super litteris.

Verùm hæc nihil efficiunt sententiæ cap. nostri. Nam prius argumentum rectè loquitur de jure alteri quæ sitio; quod per subsequens rescriptum non tollitur, nisi prioris derogatione expressè factâ. † Non enim solet Princeps cum læsione juris alterius rescribere, cap. Quamvis 8. eod. in 6. c. Ex parte 12. De off. & potest. iud. deleg. Nam & sic privilegio per contrarium privilegium non derogatur, si nulla illius mentio facta sit, per text. in c. Veniens 19. vers. non obstante privilegio, De prescript. At in specie cap. n. nullum jus impetranti rescriptum generale acquisitum erat, sed tantum generale mandatum ad omnes iudices communicatum fuit, ut possit in quavis causa appellare. Non mirum igitur, si huic generali mandato derogetur per speciale.

Deinde cum mandatum per mandatorem semper revocari possit, re adhuc integrâ. §. R. Ne quæque insit De mandato: multo magis generale mandatum in aliqua causa per eundem restringi potest, c. Dudum 14. c. Quamvis 38. De præben. in 6. & c. Pastoralis 14. §. quoniam eod.

Quare hoc textu nostro generi per speciem rectè derogatur: sicuti & contingit in similibus casibus, veluti in ultimis voluntatibus, ut in l. 2. D. De tritico & vino leg. ubi cum uni legata esset penu, alteri vinum, vinum eo calu ex penu detractum censeatur, cum dubium non sit & vinum sub penu tamquam sub genere suo contineri, l. 3. D. De penulegata. Item si uni vestimenta, alteri vestis muliebris legata fuerit, similiter exempta censeatur ex generali illo legato de vestimentis vestis muliebris, l. 1. D. De auro argento leg. Habetque locum simili Juris regula, Generi per speciem derogatur, cap. Generi De R. l. in 6.

Quoad posterius argumentum, illud non obtinet in rescriptis, quæ concernunt Reip. favorem; quale est hoc, cui inserta est clausula, remota appellatione, id est ne appelleretur, quæ ad diminuendas lites cum reipubl. commodo pertinet, l. Propterandum 13. in princ. C. De iudiciis & l. fin. D. Pro socio.

## In Cap. Ex parte 2.

## S U M M A R I A.

1. In rescriptis Pontificum cur subintelligatur clausula, Si preces veritate nitantur.
2. Cur sacrilegi instar dicatur disputare de iudicio Principis.
3. Princeps sepe importunitate obviatur & circumvenitur.
4. Quid si Princeps mandet sub certa poena?
5. Quid item iuris, si res aliter se habet, quàm praesupponit?
6. Quando de iudicio Principis disputari possit?
7. In rescriptis Imp. praedicta clausula exprimi debet.
8. Rescriptum inhibens causa cognitionem suspicionem falsi non caret.
9. Executio mandata causa decepti nequit.
10. Nisi in mandato exo. usi vo adiecta sit clausula iustificatoria.
11. Causae, qui causa cognitionem ante non desiderant.
12. Quid hac de re habeat Ordinatio Camera.

**D**uo potissimum hae Decretali continentur, quod ad praesentem Tit. attinet. Primum, quod in rescriptis S. Pontificis semper subintelligatur haec conditio sive clausula, *Si preces veritate nitantur*. Alterum est, quod rescriptum, in quo absque causa cognitione iuberetur procedi, falsi suspicionem laboret. Utrumque breviter explicemus.

**1** Quoad prius, haec ratio est, quia rescripta à supplicationis forma tamquam causa effectum & interpretationem recipiunt, *l. 2. Et si legibus 5. C. Si contra ius vel utilit. publ. e. Quia 6. inf. De consang. & affinis & c. Super litteris 20. h. num. 1.* Unde pars, contra quam rescriptum impetratum est, potest comparere & exceptionem ob vel subreptionis objicere: & si exceptionem probaverit, rescindatur rescriptum, impetransque in expensas condemnatur, *c. fin. inf. eod.* Carere enim debet mendax precatore penitus impetratis, ut loquitur Imp. in *d. l. Et si legibus & c. text. in d. c. Super litteris.*

**2** Nec movet, quod sacrilegi instar sit disputare de iudicio Principis, *l. 2. C. De crimine sacrilegii*: quia id verum est, ubi Princeps sua sponte aliquid fecit, non ad suggestionem & petitionem alterius; hoc enim casu permittit Princeps rescriptum suum falsitatis argui, *d. l. 2. 3. & 4. C. Si contra ius & c. & per hunc. et. nostrum.*

**3** Nam interdum Princeps importunitate peten-

tium obruitur, ut etiam non concedenda tribuat, *l. 2. C. Da petit honorum sublati lib. 10. & c. fin. hoc tit. in 6.* aut falsò ipsi imponitur, *d. c. Super litteris*. Unde illud Alexandri III. ad Ravennatem Archiepiscopum, *Si quando, inquit, aliqua tua fraternitati dirigimus, quae animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. & inf. Qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam praeferas, quia patienter suslinebimus, si non feceris, quod prae nobis fuerit insinuatione suggestum. text. est in c. Si quando 5. inf. eod.*

Ex quo eleganter ibidem deducit Panorm. si **4** Princeps mandet sub certa poena, puta excommunicationis, quam incurreret ipso facto, qui non paruerit, posse mandatarium super exhibitione mandati, nisi maximum scandalum timeatur, vel aliter dubitetur de mente Principis, differre executionem, & referre causam Principi, quia hoc facit auctoritate juris, *d. c. Si quando, & §. deinde competens Nov. 17. l. e. mandatis Principum.*

Cui convenit Anchoranus relatus à Felino, *ad d. c. Si quando num. 2.* Quod si res, inquit, aliter se habet quàm praesupponit mens rescripti, est super sedendum, et si contineat excommunicationem latae sententiae; quia tacita conditio, *Si preces veritate nitantur*, tenet eam in suspensio.

Adde & de iudicio Principis disputari posse, si in alterius praedictum contra ius tendat, *200. iii. Cod. Si contra ius & c. nisi clausula, Non obstante lege, sit rescripto inserta, de qua vide Decium ad l. fin. C. Si contra ius, Panorm. & Felin. in c. Nonnulli inf. eod.* Verum & haec permittente jure sine Principe fiunt, ut ante dixi.

Illud in rescriptis Imperatoris singulare est, **7** quod in illis requiritur expressa clausula, *Si preces veritate nitantur*: alioquin rescriptum non valet, per text. in *l. fin. C. De diversis rescriptis*. Licet sint, qui putent, moribus & consuetudine receptum esse, ut etiam in foro saeculari subaudiatur haec clausula, quamvis in ipso rescripto disertè non contineatur, quos vide in *d. l. fin. & apud Decium hic num. 73.*

Altero capite hujus Decretalis declaratur, **8** rescriptum inhibens causae cognitionem suspicionem falsi non carere, hoc est haberi pro falso, nisi contra probetur, verè cum clausula, *Ab sine causa cognitione,*

nitio, impetratum fuisse, ut rectè interpretatur hic Glossa in fine & Decius num. 41. Nam & ob hanc falsi suspicionem impetrans à S. Pontifice ad se evocatur, rationem ejus redditurus; cum non solet rescritto suo causæ cognitionem inhibere, & inchoare ab executione.

9 Quare hic repetendum est, quod obiter indicavimus ad c. Ecclesia S. Maria sup. De consuet. quod regulariter à jure prohibitum sit, ne inauditâ causâ contra reum executio fiat, per text. in c. Congruente 7, inf. De restitu. spoliat. can. 1, cum aliquot seqq. Il. quest. 1, l. 2, C. Si per vim & l. 1. C. De execut. res judic. cum similib. Et ne quidem ex rescritto Principis, per hunc text. & in l. 4. cum l. seqq. C. Si contra jus & l. 6, C. Unde vi. Unde si secus fiat, praesumitur hoc rescritto falsò extortum, text. hic, impuneque contemnitur, per praedicta jura. & faci. elegans text. in l. Prohibitum C. De jure fisci lib. 10. † Nisi in mandato executivo adjecta sit clausula justificatoria, ut vocant: veluti, Mando tibi, ut rem restituas, ne amplius inferentiam tuam turbes, hoc vel illud facias, vel non facias, aut in termino praefixo appareas, causaque allegatur, quare non tenearis parere mandato: quæ ultima verba, aut in termino praefixo &c. clausulam justificatoriam si ve justificativam designant Nam hoc casu sustinetur mandatum executivum, cum, citato comparante, resolvarur in vim simplicis citationis. Ita ex communi sententia Jas in l. Nec quicquam 9, num. 5, D. De off. Procons.

11 Dixi, regulariter; nam quidam casus sunt, qui causæ cognitionem antè non desiderant, ac proinde in his ab executione rectè incipitur, & consequenter valet rescritto: veluti in novi operis nuntiatione, hoc est, ne quis novum opus faciat; quia hujus nuntiationis, si ve ea jure, si ve injuriâ facta sit, hic est effectus, ut, si postea alter instituat & progrediatur opus facere, quidquid factum erit, tolli vel destrui debeat, l. Prater 20 §. aut Prater D. De novi operis nuntiat. & c. 1, inf. eod. tit.

Secundus casus est, quando periculum timeatur, ne inter partes ad arma deveniatur, l. Acquisitum, alias l. Si usus fructus 6 §. sed inter D. De usufructu: vel si unus alteri offensionem intenter, l. 1. §. illud autem D. Si vi possidetis.

Tertius est, quoties actus aliquis explicari potest, praesente & invito, poterit & absente eo, l. 4, §. 1, vers. illud videamus D. De fideicommiss. libertatib.

Quartus est in iis, quæ moram non patiuntur,

aut damnum irreparabile adferunt, vel pugnant cum Reipubl. utilitate. Nam & his casibus à mandato executivo rectè incipitur, rejectâ cognitione causæ in aliud tempus, de quibus latius vide And. Gaill lib. 10. Obs. 13.

Atque de his omnibus juvat hic referre, quod statuit Ordinatio Camerae p. 2, tit. 23, cujus verba, licet aliquantulum obscura, ita Latine conatus sum reddere, in gratiam Auditorum: Postquam jure Casareo ordinatum & prescriptum est, in rebus judicialibus inchoandum non esse ab executione & mandato, Statuimus, ordinamus & volumus, ut quod in Camera Imperiali mandata & praecepta non alio modo, quam cum insertione clausulae justificatoria (per quam parti adversa reservantur causa pronuncienda, cur illa locum habere non debeant) & in rebus & inter personas, ad Camerae iudicium pertinentes, decerni debent, praeterquam si res & negotium, super quo mandata Casarea decerni petuntur, in se de jure vel consuetudine hoc postulent, aliaque sint, quae etiam absque ulteriori cognitione pro poenalibus vel iniuriis habenda sint, aut tale onus parti impositum, quod post executionem factam non possit restitui, vel res adversetur communi utilitati, vel non patiatur ullam moram. Nam & in his & aliis casibus, in quibus vigore juris à praescripto absque precedenti cognitione incipi potest, debent & possunt per iudicem Camerae & Assessores mandata absque justificatoria clausula decerni, & sine omni contradictione, aut in pedimento impleri: & deinde contra illos, qui huiusmodi mandata transgrediuntur, procedere oportet ad poenas mandatis insertas. Quod si verò in praedictis casibus pars, contra quam huiusmodi mandata decretata sunt, post impletionem eorum vel declarationem & praestationem poenae, ratione inobedientiae, velit aliquid ad relevationem sui producere, permittetur id ei loco suo ubi ordinariè competit; auditaque utraque parte in iudicio quod aequum & iuris est fiet & iudicabitur. Hæc Ordinatio Camerae valet, eo quod juri communi conformis sit, ut constat ex locis antè à me citatis; nisi quod de consuetudine ibi addatur, & de poenis. De consuetudine mirum non est, cum & hæc pars juris sit. De poenis exstat tit. D. Si quis jus dicenti non obtemperaverit; quo permittitur omnibus magistratibus suam jurisdictionem poenali iudicio defendere, id est inobedientes mulctare. Ubi tamen meminisse oportet, quod in omnibus mandatis, etiam sine clausula justificatoria, subintelligatur quoque hæc conditio, Si preces veritate narrantur, sicut fufius tradit Gaill lib. 1, Obs. 14. & Myul. cent. 4, Obs. 8, circa fin.

## In Cap. Sciscitatus 13.

## SUMMARI A.

1. Causa pluribus delegata conjunctim, omnes simul cognoscere debent.
2. Sin disjunctim, singulis cognoscendi potestas est in solidum, estque locus preventioni.
3. Clausula ita concepta, Quod si omnes interesse non possint, qua impotentia intelligatur.
4. Quid si delegatorum aliquis adesse nolit?

**H**Ac Decretali declaratur vis hujus clausulae, quae rescriptis inseri solet, *Quod si omnes, (quibus scilicet causa delegatur) ejus cognitioni vel executioni interesse simul non possint, unus vel plures ex iis nihilominus exequantur.*

- <sup>1</sup> Praemitto ad majorem illustrationem a S. Pont. quandoque delegari causam uni vel pluribus, ut videre est passim *inf. De off. & potest. jud. deleg.* Si pluribus, id vel simpliciter sive conjunctim fit, vel disjunctim. In iis, qui simpliciter sive conjunctim per voculam, *&*, sive etiam, aut similem omnes simul delegari causae cognitioni vel executioni interesse debent. Alioquin, uno mortuo, vel aliter absente, reliqui in eadem causa procedere non possunt, *l. Duo 39, D. De re jud. l. Si cui 20, D. De receptis arbitris, & facit text. in c. Si duo*
- <sup>2</sup> *5, De procur. in 6. §. Sin disjunctim*, veluti ut omnes, aut duo, vel unus eorum causam cognoscat, hoc casu cuius delegatorum cognoscendi potestas facta est in solidum; ita ut inter eos preventioni locus sit, neque alii ulterius coepta causa se immiscere possint: nisi is qui praevenerit, infirmitate aut alia iusta causa impediatur, aut nolit eam persequi, *c. Cum plures 8, De off. & potest. jud. deleg. in 6*
- <sup>3</sup> Ubi verò clausula disjunctim ita concepta est, *Quod si omnes interesse non possint, alii vel unus ex illis*

*procedat, de qua hac Decretali quaeritur, quanam impotentia per verba, non possint, vel nequeant, intelligatur. Et respondet S. Pont. utramque impotentiam intelligi, tam quae juris est, quam quae facti Juris, ut si is, cui causa simul delegata est, servus sit, vel infamis, vel excommunicatus, vel simili juris impedimento laboret, si quidem hi à jure prohibentur iudices esse, per hunc text. juncta *Gl. & in l. Cum prator 12, §. non autem D. De jud. Facti, ut si v. g. morbo sit implicatus, si carcere vel vinculis restrictus, si absens aut aliter necessario praepeditus, cognitioni causae adesse non possit, per hunc text. Item si verecundià prohibeatur, text. singul. in l. Filius 15, D. De condit. institut. in l. Nepos Proculo 125, D. De verb. signif. & in l. In eadem re §. 1. D. Ex quibus caus. majores &c.* Igitur utraque impotentia his verbis, *si omnes interesse non possint*, continetur, Dum tamen is, qui impeditur, collegis suis excusationem suam legitime insinuet, *per h. text.* Ex quo rectè notat Panormit *hic*, quòd verbum impotentiae à jure vel ab homine prolatum verificetur tam de impotentia juris quam facti.*

<sup>4</sup> Quid si delegatorum aliquis nolit adesse? Quo ad proprietatem verbi impotentiae is non continetur; quia aliud est nolle, aliud non posse, *text. hic.* Attamen benignà interpretatione receptum est, ut hac clausula, *si omnes interesse non possint*, contineatur etiam is, qui interesse non vult *per h. text. juncto c. Prudentia in princ. inf. De off. & potest. jud. deleg.* Idque in favorem causae, ne ejus cognitio differatur vel suspendatur. Aliter enim quoad ipsum nolentem, cujus nulla excusatio est; sed propter refragationem suam gravissimè est arguendus, *juxta text. in d. c. Prudentia §. adjicimus.* Atque ita finis cap. nostri supplendus & declarandus est.

## In Cap. Super litteris 20.

## SUMMARI A.

1. Summa hujus cap.
2. Rescriptum per fraudem sub vel obreptione impetratum in totum vitatur.
3. 8. Nemini dolus suus patrocinari debet.
4. Intellectus l. 2. C. Si contra jus vel utilitatem publ.
5. Dolus duplex, ex animo seu proposito, & re ipsa.

6. Mendacium quid.
7. Rescriptum Principis per mendacium exortum in totum non corrumpit; secus in rescripto Pont. & in foro Ecclesiastico.
9. Quis cognoscat de hujusmodi dolosa sub obreptione.
10. Sub vel obreptione ex simplicitate vel ignorantia admessa rescriptum non vitatur.
11. An hac regula locum habeat in rescriptis ad beneficia Ecclesiastica.

12. Rescripta ad beneficia strictè interpretanda nec extendenda.  
 13. Sub vel obreptio dolo carens vitiat rescriptum, ubi aliàs eà cessante non erat rescripturus Pont.  
 14. Rescriptum vim suam habet ex mente rescribentis.  
 15. Hodie rescripta tum ad beneficia, tum ad lites sunt abrogata.  
 16. De causis fori ecclesiasticis in prima instantia cognoscunt locorum Ordinarii; nec aliis delegari possunt, exceptis tribus casibus.

17. Iudex delegatus à Pont. qualis esse debeat.

**H**oc Cap. cenfore Panormit. difficile, famosum, & clavus totius Tit. est. Summatim verò in hac sententiam contrahitur.

Rescriptum dolo impetratum per veri suppressionem, vel falsi narrationem, non valet Per errorem verò aut ignorantiam, eatenus valet, ut iudex in eo datus, quem delegatum vocamus, possit procedere, servato juris communis ordine: dum tamen, si rectè narratum fuisset, erat rescripturus Princeps, aliàs minimè. Ut autem hæc rectius intelligantur, tres conclusiones sive potius regulæ à nobis constituendæ sunt.

1. Quarum prima sit hæc. Rescriptum per fraudem impetratum, quod subreptitium vel obreptitium dicitur (utrumque enim idem significat, per text. in l. 1. C. Si nuptia ex rescripto pet. quamvis sint, qui distinguant, ut videre est hic apud August. Beronum num. 2.) vitiat in totum. Quæ regula hoc textu apertissimè probatur quoad rescriptum contentiosum, quod aliàs ad litem dicitur, subaudi, dirimendam, deputato in eo iudice delegato, uno vel pluribus. Nihilominus in aliis rescriptis eadem regula locum habet, propter clausulam, Si preces veritate nitantur, quæ in omni rescripto subintelligitur, licet expressa non sit, c. 2. Et ibi latius diximus sup. eod. Unde hac clausulâ deficiente, veluti conditione, sub qua rescriptum est obtentum, deficit & ipsum rescriptum, c. Cum cessante 60 in pr. inf. De appellat. And. Tiraquel. in tract. Cessante causâ num. 324.\*  
 2. Accedat hæc ratio, quod nemini dolus suus patrocinari debet, c. Sedes 25. cum c. seq. inf. eod. l. Ita demum 36 in princ. D. De recept. arb. & l. Iudex dolo 12. D. De dolo malo. Et disertè inquit text. in l. 5. C. Si contra jus &c. Et hic in princ. mendax precator careat impetratis. Quæ ratio communis est etiam ad omnia rescripta, atque ad eò obrinet, licet in eodem rescripto plura capita continean-

tur: nam quoad omnia tale rescriptum vitiat, & quidem ipso jure, per h. text. nostrum, in verbis, in sua perversitatis pœnam nullum ex illis litteris commodum consequatur Concordat text. in c. Sedes 25. in fine &c. Constitutus 19 inf. eod.

Cæterum huic regulæ objicitur textus, qui multorum ingenia conturbat, in l. 2. C. Si contra jus vel utilitatem publ. Præscriptione (ait text.) mendaciorum oppositâ, sive in juris narratione mendacium reperiat, sive in facti, sive in tacendi fraude, pro tenore veritatis, non deprecantis affirmatione datum iudicem cognoscere debere, & secundum hoc de causa convenit ferre sententiam. Hoc igitur textu rescriptum per mendacium impetratum sustinetur quoad iudicem in eo datum; ergo totum rescriptum ipso jure non est nullum. Sed respondet Panorm. & post eum Mandos. hic, quod fraus & mendacium, quorum in d. l. 2. fit mentio, accipi non debeant, ubi de cipiendi animo fraus vel mendacium committitur, sed ubi per errorem fraus sive dolus intervenit; quem vocant etiam dolum, sed qui provenit ex ipsa re, non ex animo, text. in l. Si quis cum aliter 36. D. De verb. oblig. Nam obiter hic observandum est, duplicem esse dolum. unum ex proposito, sive destinata animi voluntate, de quo agitur tit. D. & C. De dolo malo. Alium re ipsâ, quando scilicet quis fuit deceptus, non ex proposito, sed re ipsâ, d. l. Si quis cum aliter & l. 2. Et ibi latius DD. C. De rescind. vend.

Verum vereor, ne hæc interpretatio jure defendi possit, cum mendacium dici nequeat, quod per errorem aliter proponitur, sed potius falsum dicitur, text. in can. Homines cum can. seq. XII. q. 2. At text. in d. l. 2. de mendacio loquitur, quod semper dolum in se continet. Neque text. in can. Is autem d. q. 2. per Panorm. & Mandos. adductus eorum interpretationem probat, sed potius contrarium innuit. Deinde de fraude hæc exstat juris civilis regula, Fraudis interpretatio semper in jure civili, non ex eventu dumtaxat, sed ex consilio quoque desideratur, l. Fraudis 79. D. De R. l.

Unde magis placet sententia Baldi, hic num. 7. 13. qui ex d. l. 2. rectè probat rescriptum Principis per mendacium extortum non totum corrumpere sed tribuere delegato jurisdictionem, ut de veritate negotii principalis possit cognoscere, qui certè sensus planus & verus videtur d. l. 2. Addit tamen Bald. id verum esse de jure civili in rescriptis Imperatoris, non autem de jure Canonico in rescriptis.

rescriptis Pontificis, in quibus obtinent omnes regulæ nostræ. Quæ & sunt Petri antiqui Interpretis sententia apud Bart. *ind. l. 1. num. 3.* Cui consequens est, ut decisio *d. l. 2.* in foro suo civili, & hæc regula nostra in foro Ecclesiastico observanda sit, juxta ea, quæ diximus *ad c. 1. sup. de consuet.*

8 Neque huic interpretationi *d. l. 2.* obstat, quod diximus, nemini dolum suum patrocinari debere, & quod mendax peccator careat penitus impetratis; quia hæc rationes de jure civili non procedunt in rescriptis contentiosis: cum enim nihil adversario noceant, nec impetranti jus suum augeant, sed ad justiciam administrandam pertineant, solent facilius impetrari, *c. pen. inf. de crimine falsi*, ac proinde jure civili non tanta eorum habetur ratio. Aliud hoc nostro text. quo & improbat fraudem etiam in rescriptis ad litem, ut eo magis coërceatur improbitas impetrantis.

9 Sed quis cognoscat de hac dolosa sub vel obreptione? Et magis est, Judicem ipso rescripto datum, *text. h. in verbis, quod delegatus &c.* Non ergo, inquires, tale rescriptum ipso jure nullum est, cum ex eo competat legato juris civilis jus cognoscendi. Verum id fit auctoritate hujus Decretalis, quæ ipsi potestas sit de dolosa obreptione, quæ contra rescriptum objicitur, cognoscendi. Sicut quoque evenit, ubi quis ex aliena jurisdictione ad judicem vocatur; nam & hic similiter judex auctoritate juris cognoscit, an vocatus sit suæ jurisdictionis, *l. Si quis ex aliena §. de judic.* idque fit ratione dubii. Unde in proposito cum per exceptionem obreptionis dubitetur, an fuerit subreptum §. Pontifici vel Principi, Judex rescripto datus cognoscit, an obreptum sit: & si adversarius obreptionem non probaverit, judex ad causam principalem procedit; sin autem probaverit, judex esse desinit, nullamque jurisdictionem habet in causa principali, quo sensu accipiendus est hic textus.

10 Sed ad secundam regulam transeamus, & est hæc. Sub vel obreptio ex simplicitate vel ignorantia admilla rescriptum non vitiat, si alijs expressâ veritate vel falsitate erat rescriptum concessurus §. Pontifex. Quo casu, omisâ speciali formâ ipsius rescripti, procedet iudex delegatus in causâ secundum ordinem iuris communis: atque hanc quoque regulam probat text. noster *in verb. inter alias.* Exemplo res illustratur. Impetravi rescriptum, ut res emptæ mihi traderetur a

venditore, & quia errore ductus asserui venditori solutum esse, puta per procuratorem, & sic obtinui, quod hæc causa summarie & de plano absque strepitu & figura iudicii, delegata fuerit: hæc specie quia falsò narravi, pretium solutum esse, delegatus iudex non secundum illam specialem rescripti formam, ut summarie & de plano causam cognosceret, sed observato iuris communis ordine procedet, videlicet ut citato venditore libellus proferatur, lis contestetur, iuramentum de calumnia præstetur, cæteraque solemnâ iudicii adhibeantur, *juxta l. Prolatam 4. & ibi latius DD. C. de sent. & interloc. omn. jud.* Vel si simpliciter rescriptum sit, ut venditor condemnetur ad rei traditionem, non antè cum condemnabit iudex delegatus, quàm si pretium solutum sit ab emptore, *text. in l. Iulianus 13. §. Offerri de actionib. empti & vend.* Hoc igitur modo, omisâ speciali rescripti formâ, causam deciderit iudex datus secundum ordinem & viam iuris communis. Quod & in similibus rescriptis retinendum est, dum modo (ut hæc regula monet) subreptione cessante alias erat rescriptum daturus §. Pont. Quod & ipse iudex delegatus æstimabit, si quæ ratio concedendi rescripti §. Pontificem movisset, *text. h. in fin.* quia solebat in similibus dare iudicem.

Utrum verò hæc regula locum habeat in rescriptis ad beneficia Ecclesiastica, non conveniant inter se DD. Et quidem hoc existimant Panorm & Felinus *hic*; sed adhibitis more suo limitationibus, quas equidem consulè omitto. Cæterum magis puto non habere locum, *per text. in c. Si motu proprio 23. de præbendis in 6. junctâ ibid. Gl. quam & probat Decius hic n. 6. in fine.* Nam eo textu rescriptum ad beneficium Ecclesiasticum nihil prodest illi, qui aliud quantumcumque exiguum habet, & illud subreptum in narratione. At nemo dubitat, si expressum fuisset, summum Pont. ei concessurum fuisse. Verum aliud receptum est in beneficiis Ecclesiasticis, quorum rescripta strictè & in suis terminis accipiuntur, neque ad casum non expressum producuntur, *text. notab. in c. Cui 27. de præbendis in 6. & in c. Susceptum 6. h. t. in 6.*

Neque obstat text. in c. Gratia hoc eod. in 6. Nam eius decisio singularis est, non tantum propter iustam ignorantiam impetrantis, sed & quod is nondum acceptaverat alterum beneficium sibi collatum ab Episcopo, ut rectè quoque animadvertit Decius *hic n. 7.*

Tertia & postrema regula est. Sub vel obreptio dolo

dolo carens viciat rescriptum, ubi aliàs, cessante sub vel obreptione, non erat rescripturus S. Pont. Et hæc regula probatur per textum nostrum *circa fin* Exempli causa, sit rescriptum impetratum in causa feudali, suppresso nomine feudi, omnino corrumpit, ex eo, quod non sit existimandum, summum Pont. in causa feudali ita rescripturum fuisse, si causam feudalem scivisset, ne cognitionem causæ feudalis adimeret ipsi domino, vel paribus Curie, ad quos aliàs cognitio feudalis causæ spectat, *e. Imperialem §. præterea si inter de prohibita feudi alienat. per Fred. &c. Transmissa §. 6. inf. de foro compet. \** Et ratio huius est, quod rescriptum & vim & suam interpretationem ex mente rescribentis recipiat, *e. Cum aded 17 cum c. dilecto 22. h. e. & c. Super eo 15. inf. de off. & potest. jud. deleg.* Sed hic mens rescribentis deficit, cum non censetur S. Pont. præiudicare aliis velle; ergo & rescriptum deficit, *d. c. Cum aded, juncto c. Cum cessante 60 in pr. inf. de appellat.* Ubi quoque observanda, iudicem rescripto datum posse & de his cognoscere, iuxta *text. n.* sicut ad primam regulam monuimus.

15 Atque hæc hæc hæc, quod attinet ad Tit. de rescriptis. Cætera non persequor ideo, quod rescripta ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, & ad lites dirimendas, de quibus hoc Tit. maxime agitur, abrogata sunt per Conoc. Trid. *Sess. 24. c. 19. & c. 20 in decreto de reformat.* Nam in *d. c. 19.* omnia mandata de providendo, & gratiæ ad vacatura beneficia, quas vocant expectativas, irritantur, & amplius concedi prohibentur. \* In altero verò, videl. *c. 20.* aperte constituitur, ut omnes causæ ad forum ecclesiasticum quomolibet pertinentes, etiam si beneficiales sint, in prima instantia coram ordinariis locorum dum-

taxat cognosci debeant. Ex quo consequens est, eas per rescriptum Summi Pont. aliis committi non posse, nec debere. Tres tamen casus excipiuntur. Primus est, si causa intra biennium à tempore motæ litis decisa non fuerit. Nam hoc casu non solum liberum est partibus, aut alteri earum, superiores iudices adire pro persequenda & dirimenda lite, sed & petere eandem causam alteri committi. Alter casus est in his causis, quæ iuxta Canonicas sanctiones reservatæ sunt Sedi Apostolicæ: ut sunt translatio & depositio Episcoporum, *c. 1. & 2. inf. de translat. Episc.* Item unio Episcopatum, *c. Quod translationem 4. & ibi laud. Gl. inf. de off. leg.* Tertius est, ubi summus Pont. ex causa urgenti & rationabili iudicat per speciale rescriptum signaturæ manu suâ subscritum, rem committendam sive delegandam esse, vel ad se advocandam. His tribus casibus in *d. c. 20.* exceptis, locum habent adhuc, quæ hæcenus de rescriptis diximus & quæ extarent adhuc explicanda, nisi brevitati consulere & utilitati Auditorum, qui maiora desiderant ex subsequentibus Tit.

Interim hic non est omitrendum, quod in prædictis casibus à S. Pont. non quilibet delegatus iudex constituatur, sed Clericus in dignitate vel personatu constitutus, vel Ecclesiarum cathedralium Canonicus, *c. Statutum 11. h. 2. in 6.* vel Prior Conventualis, vel Episcopi Officialis, *c. 2. eod. in Clem. Iuuge Conc. Trid. Sess. 25. c. 10. de reformat.* Quod autem his dumtaxat, non aliis personis inferioribus delegatio à S. Pont. fiat, suadet eius auctoritas, qui per Legatum digniorem etiam dignius representatur, *c. Sanè 11. de off. & potest. jud. deleg.*

## IN TIT. IV. DE CONSVETVDINE.

## SUMMARI A.

1. Consuetudo quid, eiusque vis & effectus,
2. Consuetudo debet esse rationalis.
3. Consuetudini quando sit locus, & secundum eam iudicandum
4. Iuramentum Assessorum Camera Imperialis.
5. Quis si consuetudo præcesserit ius scriptum cui standum iuri scripto an consuetudini?
6. Iudex in iudicando quam consuetudinem sequi debeat, loci contractus, an domicilii.
7. Consuetudo loci in iudicium deduci & probari debet.

8. An docteri de consuetudine attestanti credi debeat.

9. Præiudicium Camera Imperialis non facit ius.

Superioribus duobus Titulis dictum est de iure scripto, videlicet de constitutionibus & rescriptis: nunc ex ordine sequitur Tit. De consuetudine, quæ alterius iuris pars est, scilicet non scripti. Quippe ius omne aut scripto aut non scripto constat, *can. 2. dist. 2. l. ius civile 6. circa fin. d. de just. & iure & §. constat Instit. de iure nat. gent. & civ.*

Consuetudo, auctore Isidoro, est ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur,

C 2

cū

cum deficit lex, *can. Consuetudo Dist. 1* Cui convenit Ulpian in *l. Diuturna 33. D. De legib. Diuturna consuetudo, inquit, pro jure & lege in iis, quæ non ex scripto descendunt, observari solet. Non minus tamen rectè dicitur consuetudo, legem interpretari, sive jus scriptum, cum de sententia contentio incidit. Optima enim legum est interpretatio 37. D. De legib. & Innoc III, in *c. Cum dilectus circa med. inf. h. t.* Nec mirum, cum nulla lex vim suam exerceat, nisi usû subditorum recepta sit, *can. Erit autem lex cum can. seqq. Dist. 4.* Ut huic rectè quoque per consuetudinem contrariam legi, id est juri scripto, derogetur, *c. fin. inf. h. t. c. 3. inf. De caus. possess. & propriet. l. De quibus 32. in fine D. De legib. & s. fin. in verbis, cum in iudiciis frequentari nullo modo perspeximus, Inst. De exceptionib.* Et hinc valet consuetudo, quod possessio rei tradatur per aliud signum, quam per realem apprehensionem, vel ingressum corporalem, *c. 2. inf. h. t.* Quod tamen refragatur juri communi, *l. 3. in pr. & l. Quemadmodum 8. D. De acquir. vel amitt. possess.* Item quod una Ecclesia ex alterius Ecclesie Capitulo possit Prælatum eligere, vel teneatur, *d. c. Cum dilectus**

<sup>2</sup> Consuetudo tamen rationalis sit oportet, *d. s. fin. inf. eod.* Nam quæ gravamen adfert Ecclesiis, utpote pugnans cum libertate ecclesiastica, veluti irrationalis improbat, *c. 1. h. t. c. 1. De R. l. in 6. & Authent. Cassa C. De sacros. Ecclies.* Item ut impunè possit violari interdictum ecclesiasticum, *c. 5. h. t.* Item quod sacerdotes ea possint exercere, quæ solis Episcopis reservata sunt, ut sunt confirmare baptizatos, conferre Ordines sacros, consecrare Ecclesias & Altaria, consecrare Christum, *c. 4. h. t. juncto can. 1. Dist. 25.* Item ut quis possit dignitatem ecclesiasticam sine superioris licentia deferere, *c. eod. de quo latius ad c. Admonet inf. De renuntiat.* Item consuetudo quæ quis, propriis bonis amissis vel diffinitis possit uxoris bona alienare vel uxori ad altera petere dimidiam partem bonorum quæ maritus acquisivit, *c. penult. h. t.* Item consuetudo, quæ repugnat juri naturali vel divino, cujus transgressio peccatum inducit, *c. fin. eod.* Unde verba descriptionis consuetudinis supra recitata, *cum deficit lex*, non tantum accipienda sunt, quando lex nulla existat, verum etiam si existat, sed usu recepta non est, vel abrogata per consuetudinem contrariam; nam & his modis lex deficere rectè dicitur.

Itaque quibus in causis jure scripto non utimur, aut quia jus scriptum non existat, aut obsecrum est, aut in desuetudinem abiit, id sequimur, quod consuetudo dicitur. Et cum consuetudo pars juris sit, ut supra diximus, fit, ut iudex delegatus cum hac clausula, *ut secundum jus iudicet*, possit & debeat etiam consuetudinem sequi atque ad eam secundum eam pronuntiando dicatur secundum jus iudicare. Panorm in *c. Cum novus 19. n. 6. inf. De elect. & hic ad Rubr.* Si quidem & lex ipsa aperte jubet consuetudinem servari, *l. 1. C. Qua sit longa consuetudo, l. 3. C. De adif. privati, & s. fin. h. t. arg. l. Lege obvenire 130. D. De verb. sig.* Idque & officio cuiusvis iudicis omnino continetur, *sic Inst. De off. iud. in princ.*

<sup>4</sup> Quare etiam Assessores Camerae Imperialis, quando in numerum Assessorum recipiuntur, jurare tenentur, quod secundum Imperii Constitutiones, secundum jus Camerae, & laudabiles locorum consuetudines iudicare velint, teste And Gail lib. 1. *Observ. 36. n. 14.* Hinc quoque pulchre, Bald. *hic ad Rubr. in pr.* quod si Princeps, inquit, committat causam per hæc verba, *Committimus causam de jure & consuetudine*, & consuetudo sit juri contraria, remanet consuetudo, *& probat text. in c. pen. inf. De eo qui mittitur in possess.* Cujus ratio hæc est; cum enim consuetudo deroget juri sibi contrario, ut antè probatum est, illam quoque præferri necesse est.

<sup>5</sup> Atque hoc expeditum est, ubi consuetudo post jus scriptum introducta est: at si consuetudo præcesserit jus scriptum, sive legem contrariam, addubitari posset, cui potius standum sit, consuetudini, an juri sive legi postea latae? Et magis est, adhuc consuetudini loci standum esse: non quod consuetudo rationalior sit ipsa lege, sed quod Princeps, legem generalem condendo non censetur comprehendisse particulares locorum consuetudines, propterea quod consuetudo sit facti, & in facto consistat, *c. 1. De consuet. in 6.* Sed ignorantis nullius consensus est: quidem, ait Ulp. tam contrarium consensui quam error qui impericium detegit, *in l. Si per errorem 15. D. De iurisd. omn. iudicium?*

<sup>6</sup> Quæri solet, An Iudex sequi debeat in iudicando consuetudinem loci contractus, an verò loci sui: v. g. Siganus duos Ingolstadienses, vel etiam alterum, contraxisse Augustæ, & postea utrumque reversum sibi invicem hic litem intentasse. In qua questione communiter in eam sententiam itum est, quod in iis, quæ ad iudicii ordi-

ordinem spectant, servare teneatur Judex consuetudinem sive statutum loci, ubi illi intenditur, per text. in l. 3. in fin. D. De testib. in decidendo verò causam, consuetudinem sive statutum loci, ubi contractum est, l. Si fundus 6. D. De evictione l. 1. D. De usur. & l. Semper in stipulationib. 34. D. De R. I.

7 Ubi prætere nolim, quod consuetudo loci, si quæ sit, in iudicium deduci & probari debet, cum sit facti, non juris, hoc est non comprehensa jure scripto, d. c. 1. De consuet. in 6. Facta autem etiam prudentissimos fallunt, l. 2. in fin. D. De jurus & facti ignor. nisi forte consuetudo generatim recepta vel aliàs notoria foret: nam tunc ne quidem allegatione opus est, sed iudex eam supplere potest & debet, c. 10. inf. De filiis presbyt. can. De manifesta 11. q. 1. juncto tit. Instic. in pr. De off. jud. & Auth. lubemus circa fin. C. De iudicis.

8 Postremò hic omittendum non est, quod sæpe in controversiam vocatur, an Doctore de consuetudine loci attestanti credi debeat? Quod putat Bart. in Repet. l. 1. De quibus num. 21. D. De legib. Nam, inquit, auctoritas Poëtæ vel alterius viri excellentis probat in arte sua, l. Septimo 12. D. De statu homin. & l. 3. D. Si pars hereditatis per. ergò & auctoritas excellentis Doctoris. Verum jultè ab aliis hæc ejus sententia refellitur. Ut enim non creditur ulli testi injurato, etiam si is præclaræ curiæ honore præfulgeat, ut loquitur text. in l. Jurisjurandi 9. C. De testib. sic neque alteri injurato, quantumcumque is Religiosus sit, ut vult text. in c. Nuper 51. inf. De testib. Denique si neque iudici, quantumcumque auctoritatis fuerit, creditur in iis, quæ coram se gesta sunt, nisi aliter probentur, c. Cum à nobis 24. inf. d. tit. De testib. cur, quæ so, nudæ attestationsi Doctoris stari debet, quod injuratus scripsit?

Non movet ratio Bartoli, quia stultum est, pro

explorato habere ea, quæ Poëtæ sicut ut plurimum tradidere. Perito verò in his, quæ suæ professionis sunt, fides quidem accommodatur, ut infra suo loco fufius; sed secus est in Doctore, cujus professionis non est, scire locorum consuetudines, quæ jure scripto non continentur, sed pendent ex actibus hominum. Quis etiam non vider, Doctoribus faciliè credendum non esse, quorum scripta plerumque falsis allegationibus legum & auctorum referta sunt, adversus juris suam artem, quam profitentur. Video quidem Mynsing. Cent. 5. Obs. 96. unà stare cum Bartolo, qui & ibidem testatur in eadem rem extare præjudicium Cameræ Imperialis anni 1549 ad eoque eam communi calculo approbatam tradit ex Decio: verum postea idem Mynsing. Cent. 6. Obs. 68. contrarium probat, quod scilicet credendum non sit Doctore, quantumvis excellenti & celebri, attestanti talem extare consuetudinem. Id ipsum confirmat exafone, in d. l. De quib. & ex Rocho, in c. fin. h. tit. additque ex eodem Rocho, hanc posteriorem opinionem communiorum, magisque receptam esse, & benè fundatam in ratione. Et certè eandem sententiam non video cur amplecti non debeamus.

9 Neque nos movere debet præjudicium Cameræ Imperialis, quia Cameræ non facit jus, sed tenetur, ut superius dictum, secundum jus judicare, & laudabiles locorum consuetudines; subaudi, legitime in iudicio probatas. Facit optimus text. 10. l. Nemo 14. C. De sent. & interlocut. omn. judic. Ideoque probabilis tantum est sententia Cameræ Imperialis, & ab ea rectè receditur, si contraria opinio juri magis conformis sit.

## In Cap. ult.

## SUMMARI A.

1. Peccata diuturnitate temporis graviora fiunt.
2. Transgressio juris naturalis non potest consuetudine defendi.
3. Non omnia transgressio juris naturalis inducit peccatum.
4. Consuetudo an deroget juri scripto: & intellectus l. 2. C. Quæ sit longa consuet.
5. Consuetudo rationalis quæ dicatur.
6. Baldi sententia, non require, ut consuetudo ratione constet.

7. Explicatio l. Non omnium 20. D. De legib.
8. Explicatio l. Prospexit 12. § 1. D. Qui & à quibus manumissi & c.
9. Intellectus l. Quod non ratione 39. D. De LL.
10. Consuetudo potest esse rationalis contra jus item rationale.
11. Consuetudo legitime præscripta quæ dicatur.
12. Statuta Episcoporum & aliorum Clericorum non præiudicant sacris Canonibus.
13. Secus in statutis laicorum.

14. Statuta poenalia ad corroborandos Canones valent.

**H**oc Cap. singulare est, multa que simul complectitur.

Primum est, quod peccata diuturnitate temporis graviora fiant. Idque & alibi expressum est in c. Cum habere & in fine De eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulter in c. Cum non satis 8. cum c. seq. inf. De simonia. Et aperta ratio est, quia Deum eo longius sibi offensum retinent, can. 1. De poenit. Dist. 5.

Alterum ex priori consequitur, videlicet quod transgressio juris naturalis, quae peccatum inducit, nullam consuetudine defendi possit, per h. text. nos. Est autem hoc loco jus naturale, quod apud omnes gentes divinam quadam providentiam constitutum est, ac proinde est firmum & immutabile, §. per Inst. De jure nat. gent. & civ. Cujus juris exempla sunt haec, Non occides, Non furaberis, Non moechaberis &c. quae ex naturalis ratione omnium gentium profluunt, & haec quoque sententiam Christi continentur: Omnia, quaecumque vultis, ut faciant vobis homines & vos facite illis. Mat. 7.

Sed quod additur hic in textu, cuius transgressio peccatum inducit, id restrictionis sive potius explanationis causa adiecit Pont. Neque enim omnis transgressio juris naturalis est peccatum, si ad singulas ejus species descendatur. Ut ecce, Non occides, juris quidem naturalis est, generaliter spectando, l. Vi vim 3. D. De justit. & jur. sed non in iis casibus, quibus impune homicidium permittitur: veluti si quis defendendi sui causa adversarium occidat, d. l. Vi vim l. 2. C. Ad leg. Corn. de sicar. c. Significasti 18. c. fin. inf. De homicidio &c. unico eod. in Clem. vel occidat nocturnum depopulatorem agrorum, sive publicam latronem, vel militiam desertorem, toto tit. C. Quando liceat unicuique sine iudice se vindicare Item qui hostem iusto bello, & nocentem iussu iudicis occidit, can. Si homicidium xxxiii. q. 5. Nam cum haec juris auctoritate vel permissione sine illo scelere fiant, valet in his quoque consuetudo. Idem in furto videre est, quod etsi naturali jure prohibitum, §. 2. Inst. de oblig. qua ex delicto nasc. tamen sine peccato fit tempore extremae necessitatis, quo solent dici omnia communia, per text. in l. 2. C. Ad L. Rhodiam de jactu, can. can. Discipulos De poenit. Dist. 3. & can. Sic ut l. vers. Proprium Dist. 47. Id ipsum & aliis exemplis illustrari poterit, si tempus pateretur.

Quod vero ad jus positivum sive humanum attinet, nec huic detractum vult textus noster

per consuetudinem contrariam, nisi fuerit rationalis & legitime praescripta. Cui refragari videtur l. 2. C. Quae sit longa consuet. cujus verba haec sunt: Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitur momento, ut a rationem vincat, aut legem. Hic autem contra dicitur consuetudine scilicet vinci legem. Verum d. l. 2. non ea sententia est, quod consuetudo legem vincere non possit, sed quod non sit majoris auctoritatis, quam ipsa lex, spectata scilicet separatim utriusque vi & effectum. Quod enim fieri potest per legem, idem potest fieri per consuetudinem, & est diverso. Ceterum si unum alteri in eadem specie opponatur, certum est, per posteriorem alteri priori contrariae derogari: ut fit & in ipsis legibus, quarum posterior priori est contraria, & idcirco haec abrogat, l. Sed & posteriores 28. D. De legib. &c. 1. De constitut. in 6.

Porro ut consuetudo juri scripto deroget necesse est, ut sit rationalis & legitime praescripta text. h. Quae autem dicatur rationalis consuetudo inter Doctores non convenit, ut est videre apud Panormit. hic n. 5. Verum Panorm. secutus Hostiensis & Joan. Andr. recte putat hanc rem committendam esse arbitrio iudicis, qui considerabit, an consuetudinis finis sit bonus, an reprobus, an iusta ratione sit inducta consuetudo; quod & communiter receptum testatur And. Gail. lib. 2. Obs. 31. n. 12. & confirmat juris sententia, quae ea, quae a jure definita non sunt, iudicis aetimationi relinquuntur, l. 1. in fine D. De jure deliber. l. 1. §. expilatores D. De effractorib. &c. fin. in fine inf. De transact.

Unde mirum est, Baldum ad l. De quibus, n. 95. 6. D. De legib. aliter sentire, dum asserit ad essentiam consuetudinis minimè requiri, ut ratione constet, cum ne in ipsis quidem legibus ratio exigatur l. Non omnium 20. D. De LL. & l. Prospexit 12. §. 1. D. Qui & à quib. manumisi. quae jubemur legi scriptae obtemperare, etiam si ea praedura sit. Sed & pro Baldi opinione facere videtur text. in l. Quod non ratione 39. D. De LL. ubi ita Celsus Quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. Item haec ratio, quod cum jus humanum sive positivum rationale sit, can. Erit autem lex Dist. 4 oportet ei contrariam consuetudinem esse irrationabilem; siquidem contrariorum contraria est consequentia. Verum haec ratio non tantum adversatur textui nostro, & in d. l. 2. C. Quae sit

fit longa consuet. sed & definitioni juris, quâ jus dicitur ars boni & æqui, l. i. d. *Iust. & Iure*. Quæ definitio Ulpiani est, quemadmodum & eius divisio in ius scriptum & non scriptum, l. *Ius civile* 6. in fine d. d. tit.

7 Nec verum est, in legibus necessariam non esse rationem: nam quod attinet ad d. l. *Non omnium*, ea huius legis sententia est, quod rationes eorum, quæ à maioribus nostris constituta sunt, non sint a nobis anxie exquirendæ, alioquin, ut ibidem subiicitur in l. *seq. Et ideo*, multa ex his, quæ certa sunt subverterentur. Quibus verbis innuitur in omni lege, si non exploratam, saltem inesse rationem, quæ legistatorem movit ad condendam legem. Vel dici potest, d. l. *Non omnium* exaudiendam esse de his legibus omnibus, quarum rationem certam impossibile est reddere. Ut v. g. in ultimis voluntatibus, cur scilicet in testamentis septem testes præcisè requirantur, in codicillis verò & mortis causâ donationibus quinque testes sufficiant, non aliam rationem adferes, quàm ut fraudibus occurratur, quæ circa testamenta committi solent, l. *fin. C. de fideicommissis*. Sed cur non idem testium numerus est in codicillis? In civilibus causis & criminalibus omnium DD. sententia est, regulariter sufficere duos testes, sicut latè probat Ant. Gomez. *Var. Respon.* 3. c. 12. n. 9. At in his manus præiudicium sæpè vertitur, quàm in ultimis voluntatibus. Sed quis reddet certam diversitatis rationem? Ad hæc igitur & similia, cum ex mera constituentis auctoritate dependant, referri potest d. l. *Non omnium*.

8 Quod verò ad d. l. *Prospexit qui & à quib. manumissis*, maior quidem difficultas est, nihilominus, rectè consideratâ, facilè tollitur. Nam etsi, pendente accusatione adulteri contra mulierem, servi eius intra sexaginta dies manumitti vel alienari per legem prohibeantur, etiam ii, qui extra ministerium mulieris in agris vel provincia degunt, vel postea empti sunt (cum tamen absentia servorum ponat probabilem adulterii ignorantiam, atque idcirco horum respectu prædura dicatur lex) nihilo tamen secius æqua videretur lex ob tria simul concurrentia. Primum, quod licet fuerint absentes, fieri tamen potuit, quod audierit, vel adhuc audire possint de adulterio mulieris: ut ita via per eos aperiatur inquirendæ veritatis, & ideo lex noluit eos manumitti, vel alienari. Alterum est servorum utilitas, & tertium brevis temporis, videl. sexaginta dies qui

legis duritiem primâ fronte occurrentem emolliunt. Ita Jason in l. *Ex facto num. 13. in fine d. de vulg. & pupill.* quem perperam refert Menoch. *de arbitrar. iudic. quæst. casu* 82. n. 15.

Jam quod attinet ad d. l. *Quod non ratione d. de LL.* quæ maximè favere videtur opinioni Baldi, Resp. *Errorum* quidem in initio causam dare posse consuetudini introducendæ, sed cessare tunc errorem, cum consuetudo introducit: quippe consuetudo consensum subditorum requirit, l. *de quibus 32. circa fin. d. eod. tit. de LL.* cui error adversatur, l. *Si per errorem 15. d. de jurisd. omn. iudic.* Igitur propter consensum subditorum ligat hæc consuetudo, quod sufficit ad rationem talis consuetudinis, licet diversum sit in hac consuetudine, quod ad similes casus transferri non possit, d. l. *Quod non ratione*. Facti speciem hanc fingamus. Consuetudine loci receptum est, si dominus vini manum admoverit plastro, quod è curru vectoris labitur æque etiam iuvandi causa, quod tunc periculum sit ipsius domini. Huius consuetudinis fortalsè causa fuit, quod per errorem creditum, hac apprehensione factâ dominum in se omne periculum vini recepisse: quod & postea consuetudine obrentum est. Valet quidem hæc consuetudo, sed ad reliqua liquamina, veluti oleum, mel, & id genus alia extendi non debet, cum in aliis consuetudinibus ratione à principio introductis transeat ad similes casus, d. l. *de quibus & ibi Jason n. 14. cum seqq. & l. 1. C. Quæ sit longa consuet.*

Neque etiam iuvat opinionem Baldi, quod ius positivum sive humanum sit rationale; quasi consuetudo ei contraria rationalis dici non possit: quia id verum est, nisi alia & diversa causa subsit, nam huius respectu potest & consuetudo esse rationalis contra ius aliàs quoque rationale. Quod hoc exemplo illustrat Panorm. *hic n. 6.* A iure inductum fuit, ut Episcopus negotia Ecclesiæ tractet cum consilio Capituli, ideo quod Episcopus cum Capitulo suo unum corpus constituat, ut est textus in c. *Novit 4. inf. de his que sunt à Præl.* Item firmitus, inquit, est iudicium, quod plurimorum sententiis confirmatur, c. *Prudentiam 11. in fine pr. inf. de off. & potest. iud. deleg.* Nihilominus consuetudine induci potest contra hoc ius, ut vel solus Episcopus possit procurare negotia Ecclesiæ c. 3. *hoc tit. in 6. & c. Ea noscitur 6. inf. de his que sunt à Præl.* quæ & idcirco rationalis est. Quod hac ratione nititur, ut facilius Ecclesiæ negotia expediantur.

Quare

Quare fit, quod consuetudo rationabilis dici possit, etiam si lex illi contraria rationabilis quoque sit, verum, ut dixi, alio respectu sive ratione.

<sup>11</sup> Cæterum consequenter discutiamus, quæ & quando consuetudo legitime præscripta dicatur, sicut & textus noster requirit, *hic in fine* In quo & Doctorum inter se concertatio est, quam brevitatibus studio hic non repeto, sed adæantur Panorm. *hic n. 7* Jac Menoch *De arbitrariis iud. qq. c. 88* And Gail *Observ. 31 lib. 2. & Myns cent. 6 Observ. 41* Ego ut de consuetudine rationabili antè dixi, puto & hanc rem (cùm nullo jure sit definita) permittendam esse arbitrio iudicis, per *iura ibid. n. 109*. Iudex igitur circumspectus & sagax in exploranda consuetudine ita se geret, ut monet Alexander Imp. l. 1. C. *Qua sit longa consuet.* cujus verba idcirco hic subijciam; *Præses Provincia*, inquit, *probat his, quæ in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causâ cognitâ statuet Nam & consuetudo præcedens, & ratio, quæ consuetudinem suam custodiendam est, & ne quid contra longam consuetudinem fiat, ad sollicitudinem suam revocabit Præses Provincia.* Ex quibus apertè evincitur, consuetudinis vim spectare ad cognitionem iudicis.

Sed an Principis scientia ea in re exigitur? Minimè, sicut constat *ex c. 1. De constit. in 6.*

Quid si antè numquam fuerit iudicatum secundum consuetudinem? Nihilominus eam sequi debet iudex: non obstante *l. Cum de consuetudine 34. D. De legib.* quia lex ista magis ad probandam consuetudinem, quam ad ejus scientiam pertinet sicut ex communi DD. sententia tradit Panorm. *hic n. 6* Nam si requireretur ad consuetudinem, ut secundum eam aliquando iudicatum fuerit, numquam iudicari posset pro consuetudine, ex quo antea in iudicio non fuit obtenta, quod sanè absurdum esset. Unde nota, hic aliam esse hujus verbi, *prescriptionis*, significationem, quam est sub Tit. Decret. *De prescriptionibus c. C. De prescriptione longi temporis c. cum aliquot seqq.* in quibus de dominio vel jure aliquo acquirendo sive amittendo agitur. Hic verò sumitur pro usu tanti temporis, ut inde elici possit consensus subditorum omnium vel majoris partis, & *ex non scripto Instit. De jure naturali c. juncta l. Quod major D. Ad municipalem c. l. Nominationum 46 C. de Decurionib. lib. 10.* Atque hæc hæctenus, quoad explicationem *c. ult. h. t.*

<sup>12</sup> Ubi tamen nolim præterire, quod etsi consuetudo contra jus scriptum valeat, prout antè à me

explicatum est, aliud tamen fit in statutis Episcoporum, aliorumve Clericorum, quæ sacris Canonibus præjudicare non possunt, per *text. in c. Quod super his 9 inf. De majorit. & obed. c. in c. 2. in pr. vers. nos inter cætera, De elect. in Clementi* ubi hæc ratio redditur, quod lex superioris per inferiorem tolli non possit, *c. Cum inferior 6 inf. d. tit. De majorit. c. Felin. in d. c. Quod super his n. 2. Panormit. hic n. 8. c. 9. Imolain c. fin. n. 1 inf. De off. Legati* Quamvis diversum obtineat in statutis laicorum, quibus utrumque licet, & per statutum & per consuetudinem derogare juri civili, per *text. in l. Omnes populi 9 d. De just. c. i. Instit. De jure natur. Diversitatis ratio hæc est ex sententia Imolæ & Panorm. ad locis, quod laici id habeant ex Imperatoris permissione, d. l. Omnes populi. Tametsi enim populus lege Regiæ omne imperium & potestatem suam in Principem transtulerit, l. 1. d. De constitut. Princip. c. § Sed & quod Principi Instit. De jure natur. nihilominus permisit ei Princeps, ut pro re nata, & ex urgentibus aliis causis possit sibi, suisque rebus, privatis legibus, id est statutis, consuleri, *l. penult. c. ult. d. De decretis ab ord. facien. & satis comprobat d. l. Omnes populi* Episcopis verò aliisque Clericis id minimè permissum reperitur, ut statuta condere possint contra sacros Canones. Imò id illis diserte est interdictum per *text. in d. c. Quod super his, c. in can. Qua ad perpetuam cum seqq. xxv. q. 1.* Consuetudinem verò ad versus se admittunt sacri Canones, quod hæc minùs ambigua sit quam est statutum, sed quasi ex inspiratione divina profecta. Ex quo facile est colligere, quanti sint æstimanda statuta Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum contra Canones edita quæ cerrè nullo jure subsistunt, nisi à Sede Apostolica approbentur.*

Sanè statuta, quæ ad sacros Canones corroborandos pœnam aliquam adjiciunt, minimè improbantur per *text. in c. 2. §. statuto de constit. in 6.* quo loco valet statutum Episcopi, in furem excommunicationis pœnam statuentis. Idem videmus & in sæcularibus Principibus, qui etiam rectè in re spirituali & Ecclesiastica, ad coercendum ejus abusum, inter subditos suos pœnale aliquod edictum adjiciunt, ut videmus in violatione matrimonii, jurisjurandi, & in hæresi: quæ licet jure divino & ecclesiastico prohibita sint, tamen civilibus legibus & statutis rectè vindicantur, *l. Quamvis 30. c. Auth. seq. C. Ad l. Jul. de adul. l. Quod major 41. C. De transact. c. Auth. Gazaros. C. De hæresicio.*

## IN TIT. V. DE POSTVLATIONE PRÆLATORVM, &amp;c.

## S U M M A R I A.

1. Postulari, eligi vel nominari in Episcopum qui qualiter dicantur.
2. Praxis Curia Rom. quo ad postulationem.
3. Forma servanda in postulatione.
4. Postulari possunt etiam alii Prælati & Clerici.

Quandoquidem parum est, jus esse, nisi sint, qui illud exequantur, l. 2, § post originem D. De orig. juris, c. Vbi periculum §. reperias De elect. in 6. ideo post jus scriptum, quo constitutiones & rescripta continentur, & jus non scriptum, id est consuetudo, subjicitur hic Tit. cum seqq. de ministris juris: ut sunt Prælati Ecclesiarum, quorum primas tenet Episcopus, qui vel postulatur, vel eligitur, vel nominatur, c. 3, in fine h. t.

Postulatur is, qui eligi prohibetur, vel propter naturales, quia illegitimus est, c. Innocentius 20. inf. De elect. vel propter ætatem, ut sunt minores XXX. annis, majores verò sedecim annis, c. unico h. t. in Extravagantibus. com. Item Episcopus, qui suæ Ecclesiæ alligatus est, c. 4. & ult. Item laicus propter defectum Ordinis Ecclesiastici can. Ofus Dist. 61. ceterique, qui vel ob alium defectum, prohibentibus sacris Canonibus, eligi non possunt: nam his per postulationem, id est petitionem factam coram summo Pontifice consultitur, ut in Episcopum adsumi possint. Panormit. in c. ult. num. 8. in fine h. t. Quare postulatio innititur gratiæ superioris, habetque effectum dispensationis, c. 3. circa fin. eod. Eligitur in Episcopum, cui nullum impedimentum obstat, quin possit eligi, ut infra tit. seq. videbimus. Nominatur verò, cum duo vel plures digniores à collegio nominantur, & S. Pontifici proponuntur, ut unum ex eis præficiat Ecclesiæ, text. in c. Quod sicut 28, in pr. inf. De elect.

Sed quæret quis, cur hic Tit. præcedat Titulum de electione, cum is dignior sit? Resp. Decius hic num. 2. quòd postulatio sit præparatoria ad electionem. Verum huic rei non immoror, propter ea, quæ de continuatione Titulorum diximus supra ad Tit. De rescriptis.

2. Ubi tamen negligenda non est praxis Romanæ Curia, quam tradit Panorm. in c. 1, num. 34, h. t. quòd licet admissio postulationis nihil aliud operetur, quam ut is, qui postulatus est, in Episcopum eligi possit. Curiam tamen Romanam, ut cir-

cuitus evitetur, & citius consulatur Ecclesiæ vacanti, aliud observare, nempe ut admissa postulatione statim postulatus adsequatur idem jus, quod electus & confirmatus Episcopus; unde ad aliam electionem & confirmationem non recurritur, ut & probat text. in c. 2, h. t. quo loco, postulatione facta & admissa, ad electionem non reditur, sed plenum jus postulatus consequitur.

In postulatione facienda nulla certa forma à jure præscripta est, ut in electione, juxta c. Quapropter 42. inf. De elect. sed sufficit eos, qui alias jus eligendi habent, vel omnes, vel certè pro majori parte convenire in unam eandemque personam, c. 3. & ibi Panorm. num. 12. h. t. c. Cupientes 16. §. fin. De elect. in 6, junctim l. Quod major 19, D. Ad municip. Nisi concurrat postulatio cum electione, ut quia alii postulant, alii eligunt, hoc casu est necesse numerus postulantium duplo major sit, quam eligentium; alias electio præfertur, c. Scriptum 40. & ibi latius DD. inf. De elect. Ratio est, quia postulatio nititur gratiæ, electio jure, hoc est à mera voluntate superioris pendet, ac nullum jus admissa postulatione acquiritur postulato. Electo verò statim acquiritur jus, electione facta, ita ut electus sine causa à superiori destitui non possit, ut inf. tit. seq. dicam. Quare electio, cum ipso jure nitatur, expugnata difficilior est. Hoc tamen cavendum est in postulatione, ne is, qui postulandus est, eligatur, sed postuletur, verbi Postulo mentione facta, c. vñ eod. tit. in 6. Nam tamen si jure antiquo indistinctus esset usus verborum postulationis & electionis, can. His omnibus Dist. 61, & can. Literas Dist. 63. hodie tamen ex Bonifaciana constitutione separata sunt, ita ut ne quidem hæ formulæ permittantur, Eligo postulando, vel Postulo eligendo, aut Eligo postulandum, sive Postulo eligendum, sicut videre est latius in d. c. unico, quo & aliter factum eo ipso irritum decernitur.

Porro nec hoc quoque prætereundum est, quòd etsi Tit. loquatur de postulatione Episcopi, idem tamen trahi possit ad alios Prælatos sive Clericos, qui ad beneficium Ecclesiasticum, ad quod adsumuntur, idonei non sunt, propter ætatem aut alium defectum, idque propter summam potestatem & auctoritatem S. Pontificis in res & personas ecclesiasticas, c. 2, De præbend. lib. 6, & quia ipse non est subiectus sacris Canonibus, quin

D

ex

ex causa possit facillè alicui gratiam facere contra sacros Canones, c. *Innotuit* 20. *inf.* De elect.

Vide, si placet, hic Hostiensem in *Summa* num. 2.

## IN TIT. VI. DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE.

### SUMMARI A.

1. Forma eligendi Episcopi, & qui interesso electioni debeant.
2. Forma eligendi per compromissum.
3. De electione S. Pontificis.
4. De electione Imperatoris.
5. De electione Abbatum.
6. Decretum Conc. Trid. de electionibus faciendis.
7. Electi potestas.

**I**am de electione Episcopi videamus, cujus tractatio simul etiam complectitur electionem S. Pontificis, Imperatoris, Abbatum, Abbatissarum, aliorumque inferiorum Clericorum.

<sup>1</sup> Igitur quoad electionem Episcopi (quà sola ferè utitur hoc tempore nostra Germania, in reliquis verò Provinciis, quantum intelligo, vel ad summum Pont. vel ad Reges locorum, constitutio Episcoporum sive potius presentatio spectat) ejus eligendi forma præscribitur in c. *Quia propter* 42. *hoc tit.* quod desumptum est ex Concilio Lateranensi celebrato sub Innocentio III. cujus hæc summa est: quòd ad electionem Episcopi procedi debeat vel per scrutivum, vel per compromissum, vel quamdam inspirationem, cum scilicet omnes uno quasi spiritu ducti concurrunt simul in eandem personam. Intellige per omnes, qui sunt ejusdem collegii sive Capituli, & qui ex conventionem vel præscriptionem jus eligendi sibi acquisivere, vel saltem in ejus possessione sunt; nam hos omnes interesse oportet electioni Episcopi, d. c. *Quia propter* & d. c. *Scriptum* 40. *hoc tit.* c. 3, & c. 8. *inf.* De causa possess. & propriet. Ad eò ut si quis ex illis præteritus fuerit, propter contemptum sui agere & infirmare possit electionem factam; nisi malit electioni accedere, & suo consensu comprobare, c. *Quod sicut* 28. *in fine* pr. h. t.

<sup>2</sup> Per compromissum, cum aliquibus, vel etiam uni, ab omnibus committitur electio, ut is Episcopum omnium vice nominet, & constituat, d. c. *Quia propter*, c. *Si cui* 23, & c. *Si compromissarius* 37, eod. in 6. *Gl.* & *Imola ad d. c. Quia propter.* Et hæc formà non servat à ipso jure nulla est electio, d. c. *Quia propter* & ibi *Panorm. num.* 5.

<sup>3</sup> In summi Pont. electione, quæ sit à collegio Cardinalium presentium, (nam absentes non vo-

cantur, sed tantum expectantur ad viginti dies) sufficit duarum partium consensus Cardinalium eligentium, aliaque singularia huic insunt electioni, quæ latius vide in c. *Licet* o. h. 2. in c. *Vbi periculum* eod. in 6. can. 1, *Dist.* 23, & can. 1, cum seq. *Dist.* 79.

De electione Imperatoris exstat text. in c. *Venerabilem* 34, h. 2. quo agnoscit S. Pont. electionem Imp. pertinere ad Principes Germaniæ, ita quòd jus & auctoritas examinandi personam electam, item consecrandi & coronandi ad se pertinet; ut & destituendi sive Imperio privandi, si merita ejus hoc postulent c. 2, *De re jud.* in 6.

De Abbatum electione agitur quidem h. 2. d. c. 34, c. *Constitutis* 47, & c. *Cum magistrum* 49. Sed in eadem forma electionis d. c. *Quia propter*, quam in Episcopo eligendo antè retulimus, requiritur etiam in Abbatis electione, dubitarum fuit. Verum magis obtinuit, etiam ad Abbatis electionem pertinere; imò & ad ceteros Prælatos, qui in Ecclesiis Collegiatis generalem jurisdictionem exercent, siquidem & per eorum mortem Ecclesia quodammodò viduata dicitur, *Gl.* & *Panormit.* in d. c. *Quia propter* num. 7, circa med. & *Imola num.* 3 ubi & testatur hæc esse communem DD. sententiam; quam tamen non video apertè jure probari. Unde subsisto, magis putans hæc in re spectandum esse morem consuetum, quo hæctenus Capitulares usi sunt in eligendo Abbatem vel alium Superiorem, quàm est Episcopus, quia consuetudo est optima juris interpret, c. *Cum dilectus* 8. circa med. *sup.* De consuet. † Nisi quòd hodie exstat decretum Conc. Trid. *Sess.* 5, c. 6, De Regularib. sub his verbis: *In electione superiorum quorumcumque, Abbatum temporalium, & aliorum Officialium ac Generalium, & Abbatissarum atque aliarum Præpositarum, quò omnia rectè & sine ulla fraude fiant, in primis sancta Synodus districte præcipit, omnes supradictos eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina numquam publicentur.* Ubi nota de Abbatibus temporalibus, hoc est qui ad certum tempus eliguntur; nam ad perpetuos Abbates hoc decretum non refertur.

Quod ad alteram partem Tit. nostri attinet de electi potestate, electus nisi à Superiore confirmatus

matus sit, nullam habet administrationem Ecclesie suae, c. Nosti 9 c. Nihil 44. h. t. juncto c. Avaritia eod. tit. in 6. Quod si secus fecerit, amittit jus, quod sibi acquisitum est, jam ad durib. exceptis tamen iis, qui extra Italiam concorditer electi & a

summo Pont. confirmandi sunt, quibus propter necessitatem & utilitatem Ecclesiarum administratio permittitur etiam ante confirmationem, d. c. Nihil.

## IN TIT. VII. DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

## SUMMARI A.

1. Translatio Episcopi ad aliam Ecclesiam an & quando permittitur.
2. Cur auctoritate S. Pont. fieri debeat.

**H**ic Tit. justo ordine subjicitur prioribus, quod nonnumquam etiam per translationem Episcopi unius loci alteri Ecclesie prospiciatur, ubi necessitas vel utilitas id suadet.

Translationem vero Episcopi permissam esse à sacris Canonibus docet in primis exemplum D. Petri, qui, Antiochiâ relicta, sedem suam Romam transtulit, text. in can. Mutationes VII. q. 1. In aliis autem Episcopis ita demum admittitur, si id fiat summi Pont. auctoritate, d. can. Mutationes eum can.

seq. & c. 1. hoc tit. Aded ut ne quidem auctoritate Patriarchæ aliter fieri possit, d. c. 1. multò minus propriâ auctoritate ipsius Episcopi; nam is non tantum ab Ecclesia, quam deseruit, sed & aliena, quam occupavit, removeretur, can. Si quis Episcopus d. q. 1. & c. 3. h. t.

Igitur translatio Episcopi ab una ad aliam Ecclesiam fieri debet auctoritate S. Pont. quia id postulat matrimonii dissolutio, quod spiritualiter prius contractum est cum priori Ecclesia; ac proinde in eo dissolvendo S. Pont. auctoritate opus est; ad instar matrimonii carnalis, quod nisi Dei, cujus ipse vices gerit, iudicio reservatur, c. 2. & 3. h. t. Atque hæc obtrinent non solum in consecrato Episcopo, sed & in confirmato, d. c. 2. eod.

## IN TIT. VIII. DE AVCTORITATE ET VSV PALLII.

## SUMMARI A.

1. Pallium quid.
2. Necessarium Archiepiscopo.
3. Conceditur interdum & Episcopo.

**P**allium hoc loco dicitur insigne ornamentum Archiepiscopi vel Episcopi, desumptum ex corpore B. Petri, hoc est ex altari D. Petri, in quo à S. Pontifice benedicatur, consecratur, & reponitur, c. Significasti 4, & ibi Gl. in verb. corpore assumuntur, sup. De elect.

Archiepiscopo quidem necessarium est, quia sine eo Archiepiscopi nomen sibi usurpare nequit, c. 3. h. t. nec quæ sunt ordinis Episcopalis recte exequitur, c. Quod sicut 28. §. pen. in fine sup. De elect. † Simplex vero Episcopus pallium necessariò non requirit, sed ex privilegio quandoque ipsi conceditur, c. Cum in juventute 15. inf. De præsumpt. Unde facillè intelligitur continuatio hujus Tit. cum præcedentibus. Quibus verò locis & diebus pallio utantur vide Gl. in c. 4. h. t. Nos ad ulteriora progrediamur.

## IN TIT. IX. DE RENVNTIATIONE.

## SUMMARI A.

1. Episcopus renuntiare Episcopatu non potest.
2. Quibus ex causis Pont. Episcopo renuntianti assensiat.
3. Abbas an officio suo renuntiare possit.
4. An Clerici beneficiis suis?
5. Explicatio c. admonet 4 h. t.
6. Pont. an Pontificatu renuntiet?

**I**nterdum fit, ut Episcopus renuntiet Episcopatu suo, quod an ipsi liceat hoc Tit. traditur,

Similiter & de Abbatibus, aliisque Clericis hæc quaeritur, utrum & hi loco suo possint cedere sive renuntiare.

Quod ad Episcopum attinet, constituti juris est, cum non posse deserere Episcopatum suum absque consensu S. Pont. can. 1. in fine, can. Sicut vir, can. Episcopum VII. q. 1. c. 1. & c. Nistic. h. t. Cujus rationem sup. tit. De translat. Episc. hanc reddidimus, quod inter Episcopum & Ecclesiam suam

D 1

matri-

mattimonium spirituale contrahatur, quod non nisi auctoritate S. Pont. dissolvi potest.

2 Soler autem S. Pont. Episcopo abdicanti se Episcopatu ex certis causis assentiri, ut puta vel propter nimiam corporis infirmitatem; vel propter conscientiam admissi delicti, quod scilicet executionem officii etiam peractâ poenitentiam impedit, ut sunt homicidium & simonia; vel propter defectum scientiæ necessariæ, vel propter perverticaciam subditorum, vel propter grave scandalum, vel propter irregularitatem, veluti bigamiam, vel denique propter periculum mortis impendentis, *d. c. Nisi & ibi latius DD. juncto c. 9, h. t.*

3 In Abbatibus idem receptum est, ut nec hi absque Episcopi sui consensu loco suo se abdicare possint, *can. Abbas & can. Abbates XVIII. q. 2. etiam si Abbates sint exempti & immediatè subiecti S. Pontifici*; nam absque ejus assensu hunc locum deserere non possunt, *c. fin. h. t.*, juxta regulam generalem, Ad quem pertinet confirmatio, ad eundem spectat & resignatio, quam tradit Gl. *in c. fin. per illum text.*

4 In cæteris Clericis hoc rescriptum existat generale Alexandri III. ne Ecclesias ad ordinationem Episcopi pertinentes audeant absque assensu ejusdem Episcopi aut detinere, aut dimittere, *text. in c. Admonet 4. h. t. & in can. Nullus omnino xv. q. 7.* Ratio est, quia omnes Ecclesiæ, earumque

res pertinent ad dispositionem Episcopi loci, *can. Omnes basilica d. q. 7.* Unde fit, quod Clerici invito Episcopo Ecclesiam deserentes ad eandem Ecclesiam revocari possint, *can. Non oportet & can. Si quis vero cum c. seq. v. 11 q. 1.* Dum tamen volet Episcopus Clericum discedere, potest ejus discessum sive renuntiationem admittere, cum saltem ex parte Clerici valeat renuntiatio, *c. Quod in dubiis 8. h. t. Gl. & Panor. ibid. num. 8.*

Cæterum quod inquit textus in *d. c. Admonet*, videl. ad ordinationem tuam pertinentes, videtur à contrario sensu aliud esse, si ad Episcopum Ecclesiæ ordinatio non spectet, sed ad alium, videl. Abbatem, Præpositum, Capitulum Ecclesiæ, aut ad similes personas. Quo casu renuntiatio Ecclesiæ, sive beneficii Ecclesiastici, ad eundem spectabit; dummodò instituti, & destituti habeant facultatem, vel ex præscriptione, vel ex privilegio S. Pontif. Nam certum est Episcopalia jura per præscriptionem ab inferioribus acquiri posse, *Audis 15. & c. Cum olim 18. inf. De præscript.* Ex privilegio verò S. Pont. dubium non est, propter *c. 2. in princ. De præbendis lib. 6.*

Dubitatum aliquando fuit de S. Pont. an is Pontificatus suo possit renuntiare, eo quòd superiorem non habeat? Sed obtinuit posse, ex constitutione Cælestini V. *in c. 1. De renuntiat. in 6.*

#### TIT. X. DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORVM.

Repetenda hic sunt, quæ habet D. CANISIUS in Summa sua Juris Canonici, *lib. 2. tit. XXVIII. §. 4. & 8.* Qui fortè contentus ins, quæ ibidem ad hunc & sequentes aliquot Titulos compendiosè tradiderat, qui etiam explicationem aliam ferè non desiderant, ad eosdem Tit. nihil publicè prælegit. Itaque eò remissis Lectorem suffecerit.

TIT. XI. De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum. *Repete ex jam dicta Sum. lib. 1. Tit. VIII.*

TIT. XII. De scrutinio in Ordine faciendo. *Vide ibid. Tit. VII. §. pen. & ult.*

TIT. XIII. De ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatu renuntiavit, & ab excommunicato. *Ibid. Tit. VI. §. 5.*

TIT. XIV. De ætate & qualitate & ordine præficiendorum. *d. Tit. VII. in fine & Tit. VIII.*

TIT. XV. De sacra Unctione. *Vide lib. 2. Tit. IV. & VII.*

TIT. XVI. De sacramentis non iterandis. *Ibid. Tit. II.*

TIT. XVII. De filiis Presbyterorum ordinandis, vel non. *Lib. 1. Tit. VII. §. 9.*

TIT. XVIII. De servis non ordinandis, *Ibid. §. 3. & 5.*

TIT. XIX. De obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non. *Vide d. §. 3.*

TIT. XX. De corpore vitiatu non ordinandis. *Ibid. §. 13, 14, 15, 16, 17.*

TIT. XXI. De bigamis non ordinandis. *Ibid. §. 10.*

TIT. XXII. De Clericis peregrinis non ordinandis. *Lib. 1. Tit. VI. §. 1. & seq.*

TIT. XXIII. De officio Archidiaconi, *Lib. 1. Tit. XIX.*

TIT.

- TIT. XXIV. De Officio Archipresbyteri. *Ibid. Tit. 21.*  
 TIT. XXV. De Primicerio, ejusque officio. *Ibid. Tit. 21.*  
 TIT. XXVI. De officio Sacristæ. *Ibid.*  
 TIT. XXVII. De officio Custodis. *Ibid.*  
 TIT. XXVIII. De officio & potestate Vicarii. *Ibid. Tit. 211.*

IN TIT. XXIX. DE OFFICIO ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

S U M M A R I A.

1. *Judices alii ordinarii, alii delegati; & qui ordinarii.*
2. *Qui delegati.*
3. *Delegati non possunt subdelegare*
4. *Exceptis delegatis S. Pont. & Imperatoris.*
5. *Delegati judicium ordinariorum quando possint subdelegare.*
6. *Delegatus ad unam causam an possit ejus articulum alteri subdelegare.*
7. *Differentia inter judicem datum & cui mandat a est jurisdictio.*

**A**ndreas Alciatus, Jurisconsultus omnium iudicio doctissimus, lib 2. *Parad. c. 1. in fine*, materiam hujus Tituli adsimilat hydræ lerneæ, propter nimiam ejus perplexitatem: siquidem ad eam involuta est, ut, si unum caput, id est, unam difficultatem sustuleris, alia capita non deficient, sed potius alia atque alia renascantur. Non tamen idcirco animo dejicimur, ut hunc Titulum intactum relinquamus, cujus magna est in praxi utilitas. Rem breviter more nostro agemus, omissis inutilibus & nimis argutis quæstionibus, quæ magis conturbant quam ornant hanc materiam, de quibus fortasse loquitur Alciatus.

Itaque ut facilior ingressus pateat, sciendum est, alios esse Judices ordinarios, alios delegatos. Ordinarii dicuntur, qui jurisdictionem exercent jure magistratus, sive officii, quod publicè sustinent, quales sunt in foro Ecclesiastico S. Pont. Episcopus, item Legatus Sedis Apostolicæ, c. 2. *De officio deleg. in 6.* Item Archidiaconus, c. 3. *De appellat. in 6.* aliique inferiores Prælati, qui ex consuetudine, vel ex privilegio jurisdictionem habent, d. c. 3. & ibi DD. juncto c. *Cum contingat 13. inf. de foro compet. & c. dilecti 4. inf. de arbitris & l. 1. cum l. fin. C. de emancipat.* quibus juribus probatur jurisdictionem acquiri etiam consuetudine, aut præscriptione, & eam quidem ordinariam in foro seculari: ut sunt Imperator, Præses provinciæ, cui hodie succedere Duces, Comites, Marchiones, Barones, Præfectus urbis, Prætor, aliique simi-

les Nam hi omnes eo ipso, quod ad ejusmodi dignitates vel publica officia assumuntur, jurisdictionem simul consequuntur, ac proinde jure suo dicuntur exercere jurisdictionem, non alieno. *l. More 5. D. De jurisd. omn. jud.* Quo circa & Rectorem Academicum rectè inter ordinarios recensemus.

Delegati Judices sunt, qui ab ordinariis Judicibus mandatam habent jurisdictionem, d. *l. More 5. in fine cum l. seq. D. De jurisd.* Siquidem ordinariis permissum est jurisdictionem suam aut totam, aut unam speciem, aut in certas personas, uni vel pluribus demandare, ut passim *hoc tit. & lib. 6. eod. & in l. Solet. 6. cum l. seq. D. d. tit. De jurisd.* Atque ideo Judices delegati dicuntur fungi vice ejus, qui delegavit, non suâ, d. *l. Scler. §. fin. & c. Sanè hoc tit. §. Et cum delegati Judices, non jure proprio, sed vice ejus, qui mandavit, jurisdictione utantur, consequens est alium sibi subdelegare non posse, l. 1. §. qui mandatam, l. 3. & l. fin. D. De officio ejus cui mandat. est jurisd. & d. *l. More cum l. seq.* Unde si is, qui mandavit, decesserit, re integra, hoc est, antequam res est cœpta geri, mandatam solvitur, & delinere esse delegatus; instar aliorum mandatorum, quæ similiter, re integrâ, morte mandantis expirant, l. *Et quia 6. D. De jurisd. juncto §. item si adhuc Instit. De mandato.* Res autem intelligitur hoc loco cœpta geri, si saltem citatio inter venerit, c. *Gratum 20. hoc tit.**

Singulare est in delegatis S. Pontificis & Imperatoris quod horum delegati subdelegandi habeant potestatem, idque à jure, propter prærogativam dignitatis, c. *Pastoralis 28. hoc tit. l. A Iudice 5. C. De judiciis & l. un. C. Qui pro sua jurisd. & c.* Ad eò, ut licet plures sint eiuſdem causæ delegati, possint hi nihilominus non solum sibi extraneum substituere, verum etiam condelegato suo vices suas committere, c. *Quamvis 6. & c. fin. hoc tit. & c. Causam 62. in fine inf. de appellat.*

Aliud tamen in delegatis aliorum ordinariorum receptum est, ut, si ipsi universitas causarum delegata sit, similiter possint causam aliquam subdelegare, *per text. in l. 1. §. 1. D. Quis à quo appelle-*

tur, & l. Cum Prator 12. §. De judic. & tradit Bart. ex communi DD. sententia in d. l. More num. 10, De jurisd. Hodie delegati quasi ordinarii sunt, ex opinione Panorm. in c. Cum Bertholdus num. 20 inf. De sent. & re jud.

6 Quâ ratione idem existimat Bart. in delegato ad unam causam, ut & is possit subdelegare articulum ejusdem causæ: sed hoc minus rectè, propter text. in d. l. Cum Prator §. 1. quo non permittitur delegatio nisi his, qui à lege vel more, id est, consuetudine habent, vel qui ad universitatem causarum delegati sunt. Quippe judicandi munus necessarium est, ut loquitur text. in l. fin. §. judicandi D. De munerib. & honorib. atque idcirco à se rejici, & in alium transferri non potest: unde si aliter fiat, necesse est id lege vel more permittatur. Quod igitur Bart. dicit, delegatum ad unam causam posse articulum ejusdem causæ subdelegare, mihi non videtur probabile, propter d. l. Cum

Prator §. 4. Nisi esset actus non jurisdictionalis, ut est examinatio testium, quando scilicet Judex prius personas testium approbavit, deinde alteri committit eorum depositions; quia hæc res non est jurisdictionis, sed nudæ executionis sive ministerii. Panorm. ex DD. communi sent. in c. Super questionum 27. in pr. numero nono circa fin. hoc tit.

Postremò hic minimè negligendum est, quod tradit And. Alciat in Rubr. inf. De off. ordinarii num. 6, cum seqq. differentiam esse inter Judicem, cui jurisdictio mandata est, & eum, qui Judex datus est, ut illi subdelegare sit permittum, huic minimè. Cui etiam favere videatur text. in l. 1. D. Quis à quo appell. tamen aperte ipsi refragatur text. in l. A Iudice §. in fine C. De judic. ubi datus Judex à Principe alium potest dare Judicem, ergo ex mandata jurisdictione.

### In Cap. Si pro debilitate 3.

#### SUMMARIA.

1. Delegato S. Pont. cur permissa subdelegatio.
2. Delegationi Principis simpliciter facta inest potestas subdelegandi.
3. Persona idonea qua quibus subdelegari possint.
4. An & justa causa subesse debeat.
5. Quid si delegatus se malitiosè exoneret judicandi munere.
6. An & quatenus opus consilio vel præsentia subdelegantur.
7. Causa graves qua dicantur.

**H**Oc Cap. agitur de S. Pontificis delegato, cui liberum est causam sibi commissam subdelegare alteri, si justè impediatur; hac tamen limitatione adhibita, nisi causæ qualitas consilium ipsius vel præsentiam requirat. Singula perlustremus.

In primis hic quaeri posset, quo modo id delegato permittum sit, utpote cujus fides vel industria electa videatur, ac proinde alium, qui delegatione non continetur, sibi subdelegare nequeat, arg. l. Inter artifices 31. D. De solut. junctâ l. Diligenter §. D. Manuip. Sed Resp. Riminaldus, hic num. 2, id locum non habere in delegatione simplici, sed ubi mandatum est, ut personaliter delegatus causam cognoscat vel exequatur, per text. in c. fin. §. 2, hoc

tit. & d. l. Inter artifices in V. specialiter. Quod quandoque ex ipsa causa delegata colligitur, ut in specie c. l. cui vers. sed si non expressè hoc tit. in 6. Deinde in delegatione simpliciter facta à Principe regulariter à jure inest potestas subdelegandi, text. hic & in c. Pastoralis 28. in pr. hoc tit. & d. c. fin. & in l. A Iudice §. C. De judic. Non igitur delegatus Principis subdelegando peccat, neque mandati fines egreditur, cum subdelegatio illa per jus idoneis & discretis fiat, sicut hic discrete addit textus. Nam quid interest, delegatus mandatum suum per se, vel per alium subdelegatum idoneum impleat? l. Veteris 8. C. De contrah. & commut. stipulat.

Quæ autem personæ idoneæ sint ad suscipiendam hanc subdelegationem, declarat & constituit Bonifacius VIII. in c. Statutum 11. §. 1, iuncto §. in nullo, in verb. & personis dumtaxat designatis, De rescript. in 6. videlicet Clericis in dignitate, vel personatu constituti, & Ecclesiarum Cathedralium Canonici, item Priores Conventuales, & Episcoporum Officiales, d. c. Statutum & c. 2. De rescript. in Clement.

Cæterum ex verbis text. nostri, quibus, ut dixi, liberum relinquitur delegato Sedis Apostolicæ vices suas committere, si debilitate vel aliâ gravi causâ impediatur, difficilè exurgit argu-

mentum, ut, si non impediatur, non possit subdelegare; estque argumentum deductum à contrario sensu, utroque jure receptum, c. *Cum Apostolica* 7, in fine inf. De his qua fiunt à Prelatis &c. & l. 1, D. De eo cui mand. est iuris d. At repugnat d. c. *Pastoralis* 28 & c. fin. hoc tit. & l. *Audice* 5, C. de iudic. quibus locis permittitur simpliciter delegato Principis subdelegare: imò tacite ex juris concessione mandato suo hoc continetur, quare & absque causa poterit subdelegare. Ut igitur hunc nodum solvat Panorm. hic num. 1, existimat justam causam impediendi in delegato Principis requiri, quando vult subdelegatum compellere ad accipiendam subdelegationem. Verum hanc sententiam rectè refutat Decius hic num. 11. Si enim potest, inquit, sine causa subdelegare poterit, & sine ea subdelegatum compellere, d. c. *Pastoralis* in pr. Neque movet argumentum à contrario sensu, quia illud cessat, ubi expressè aliud decisum est à jure, ne id, quod præsumptivè ex sententia legis eruitur, juri expresso præferatur, ut est communis resolutio, teste eodem Decio, hic num. 12.

Quare constituti juris est, delegatum summi Pontificis subdelegare posse, etiam sine causa, & in vicis partibus litigantibus, ut hic textus probat, in *V. liberum*, & ibi Gl. Innoc. Panorm. & Decius: \* dummodò delegatus malitiosè se non exoneret iudicandi munere, & in subdelegatum rejiciat. Nam hac specie et si delegatio ab eo facta valeat, si sponte à subdelegato recipiatur, renitentem tamen subdelegatum compellere non potest, d. c. *Pastoralis* in pr. Neque enim malitiæ hominum à jure indulgetur, l. in fundo 39, circa fin. D. De rei vindic.

6 Potèd quod additum est ad textus nostri moderationem videlicet de consilio vel præsentia subdelegantis, sensus hic est, ut si causa tanti momenti sit, ut opus habeat consilio subdelegantis, ea subdelegari debeat, adjecta clausula de requiringo consilio subdelegantis; si præsentia abstinere debet à subdelegatione. Consilium verò requisivisse sufficit, etiam si illi non parcat, text. in

c. *Cum olim* 7, inf. De arbitris. Idem est de consilio alicujus tertii requirendo, ut rectè hic Innoc. Sed quid si omissio consilio subdelegatus processerit? Et non valere sententiam ab eo latam idem Innoc. censet, quem & tacitè sequitur hic Panorm. siquidem subdelegatus peccavit contra formam mandati, quæ erat diligenter servanda, c. *Venerabili* 37, hoc tit. inncti l. *Diligenter* 5, D. Mandati. Vide quæ fufius de hoc argumento hic Interpretes tractant, Decius præsertim. Nos reliqua persequamur.

Ait igitur textus h. in fine. Nisi forte causa ita gravis sit, quod sine præsentia sua non possint commode terminari; tales subdelegari non possunt, ut & antè expositum est. \* Quæ autem sint graves causæ hic quaeritur. Existimat Panorm. eas graves dici, quæ delegato suæ industriæ ratione committuntur, item causas matrimoniales. Sed rectius Decius hic num. 38, putat id reliquendum iudicis arbitrio, juxta vulgatam juris sententiam, quæ ea, quæ non sunt à jure determinata, censentur arbitrio iudicis relicta, text. in l. 1 in fine D. De iure delict. l. 1, D. De effraкторib. & c. 4. in fine hoc tit. cum similibus. Intellige verò hoc loco iudicem ipsum delegatum, arg. c. *Super litteris* 20, sup. De rescr. Neque verum est, causas matrimoniales subdelegari non posse, cum contrarium constet ex c. *Ex litteris* 4, inf. De in integ. restitut. Quamvis hodie non nisi Episcopis committantur ex constit. Concil. Trident. Sess. 24, c. 20, D. reform. Est quidem explorati juris, in iis, quæ respectu industriæ vel fidei personæ alicui committuntur, cessare subdelegationem, c. fin. §. 1 hoc tit. & c. *iscui* 12, eod. in 6; verum id non fit propter causæ gravitatem, sed quia ita deleganti visum fuit, ut ipsemet delegatus causam exequatur: mandati autem fines diligenter sunt custodiendi, d. l. *Diligenter* D. Mandati. Itaque ut rem totam brevissimis verbis comprehendam, summi Principis delegatus semper subdelegare potest, nisi ejus industria electa fuerit, aut causæ gravitas subdelegationem dissuadeat, iurib. hætenus alleg.

## In Cap. Præterea 5.

## SUMMARI A.

1. Iudicis delegati potestas.
2. Concesso aliquo, ea omnia concessa intelligi, sine quibus illud consistere non potest.

**R**escribit hoc Caput S. Pontifex, delegatum simpliciter constitutum posse partes compellere, centumaces coercere, omniaque facere, quæ ad causæ expeditionem spectant. Similis textus est in c. *Suspensionis* 39, §. 1, eod. Item eleganter Javelenus J. C. cui jurisdi-

jurisdictione, inquit, data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus jurisdictione explicari non potest, l. 2. D. De jurisd. Quare citare poterit, c. 4. §. 1. sup. eod. item animadvertere in eos, qui jurisdictionem suam impediunt, cap. 1. sup. hoc tit. Sed hæc ita, dummodo delegati jurisdictionem non excedat: veluti si filius hæreditatem parentis habeat, adversarii verò excipiant, cum filium legitimum non esse, ac proinde ad hæreditatem non debere admitti, profectò delegatus, si laicus sit, de hac questione, an filius legitimus sit, cognoscere non poterit, etiam si hæreditatis questio absque illa decidi non possit, sed prius questio illa, quæ parentum matrimonium concernit, est ad Judicem Ecclesiasticum remittenda, per text. in c. Lator §. inf. Qui filii sint legitimi, & c. pen. inf. De ordine cognit. Reliqua vide apud Bart. & Jas. ad d. l. 2.

2. Simile juris axioma esse, cum quid conceditur, ceteri omnia concessa, sine quibus illud consistere vel usui esse non potest, tradit Jas. in d. l. 2. num. 2. & multis hoc axioma comprobatur. Ad

majorem confirmationem insignis responsum Pomponii J.C. adferamus de servitute, his verbis: Refectionis gratiâ accedendi ad ea loca, quæ non servantur, facultas tributa est his, quibus servitus debetur: quæ tamen accedere eis sit necesse, nisi in servitute nominatim præsumptum sit, quæ accederetur. Et paucis interjectis: Si prope tuum fundum jus mihi est aquam rivum ducere, tacita hæc jura sequuntur: ut rescicere mihi rivum liceat; ut adire quàm proximè possim ad rescicendum cum ego, fabri que mei: item ut spatium relinquat mihi dominus fundi, quo dextrâ & sinistrâ ad rivum adeam, & quo terram, limum, lapidem, arenam, calcem iacere possim. textus est in l. Refectionis 12. D. Commun. prædior. Adde & text. in l. Vetores 4. D. De itinere actuque privato. Sic eleganter respondit Oldradus, cons. 11. in causa Hospitalis, cui à Sede Apostolica erant remissæ decimæ in usum suorum pauperum, ut non tantum pauperes eo privilegio contineantur, sed & inservientes eidem Hospitali, quia sine his pauperes curari non possunt. Pluribus exemplis hæc res illustrari posset, nisi esset alienum à materia propofita.

## In Cap. Quoniam Abbas 14.

## SUMMARI A.

1. Delegatio facta expresso nomine proprio est personalis.
2. Facta sub nomine appellativo transit ad successorem.
3. Quid si nomen proprium simul cum dignitate exprimitur.
4. Decretum Concilii Trid. hæc de re.

**S**pecies hujus Capituli hæc est. Causa à summo Pontifice commissa fuit duobus Abbatibus Leicestriæ & Vicestriæ, suppressis eorum propriis nominibus. Mortuo Abbate Vicestriæ, Abbas Leicestriæ diem certum ad agendum pariter dixit, successoremque Abbatis Vicestriæ, porrecto ipsi S. Pontificis mandato, in ejusdem causæ cognitionem adhibuit, sententiaque ab utroque lata & tandem confirmata fuit à Pontif. Ubi in primo est notandum, quod delegatio quandoque fit expresso proprio nomine, ut puta Petro, Paulo, vel simili, quandoque sub nomine appellativo, veluti Abbati, Episcopo, Decano, Præposito. Et priori quidem casu delegatio morte ipsius delegati expirat, neque ad eius hæredem, sive alium successorem transit, quia in delegatione ratio solius personæ habita est, quæ extinctâ consequenter etiam extinguatur delega-

rio, arg. c. Sigratio 5. De script. in 6. & l. Privilegia quadam 196. D. De reg. iuris, Panorm. hic num. 3. Decius ibid. num. 13. cum aliis ab eo citatis. Posteriori verò casu in successorem transit, per h. text. si quidem dignitas perpetua est; & proinde cum dignitatis respectu fit facta delegatio, meritò in successorem eius transfunditur. Hinc eleganter à Cajo J.C. responsum est de Principe, cui legatum est relictum, eo mortuo, antequam cederet dies legati, nihilominus successori eius deberi, l. Quod Principi 58. D. De leg. 2. licet in legato relicto Augusta diversum obtineat, nam eâ mortuâ deficit & legatum, l. Si Augusta 59. D. eod. Verum hoc ideo, quod Augusta nullam dignitatem propriam habeat, sed communicatam sibi à Principe; ut & reliquæ uxores dignitatem habentium, l. Famina 8. D. De Senatorib. & l. Mulieres 13. C. De dignitatib. lib. 10. Sed & posterior casus ita exaudiendus est, nisi aliter constet de mente delegantis: veluti si delegatio facta sit sub nomine quidem dignitatis, sed habitâ industriæ ratione, eruditionis, aut fidei ipsius personæ; nam & hoc casu delegatio in successorem non transit, ex ratione, c. fin. §. 1. vers. præterquam inf. eod.

Cæterum questionis est, si & proprium no-

men

simul cum dignitate exprimat, ut v.g. Conrado Episcopo Eistertensi, an ejus successor quoque continebitur. Et verius est non contineri, quia præsumitur personæ habitatio ratio, arg. *l. Si servus 37, D. De stipulat. servor.* Atque hanc sententiam asserit & communem defendit Decius *hic num. 45 cum seqq.* Nisi ut rectè tradunt Panorm. *hic num. 8. & idem Decius num. 48.* delegans sive committens non haberet ipsius delegati notitiam; quia tunc expressio nominis proprii nihil operaretur, sed inspiceretur solum dignitatis nomen, *sexi. in l. Qui habebat 28, D. De reb. dubiis.*

Sed nolim hæc fufius profèqui, propter Conc. Trid. *Sess. 25, c. 10, De reform.* quo omnes delegationes sunt personales, hoc est, ad successorem non transeunt. Nam statuit, ut in singulis Conciliis provincialibus & diocesanis quatuor aut etiam plures personæ, quæ qualitates habeant,

(juxta *c. Statutum De ref. lib. 6.* ut sunt in dignitate, vel personatu constitutæ, & Canonici Cathedral. Ecclesiæ, quarum etiam meminimus ad *c. Si pro debilitate 2 supra hoc tit.*) designentur, quibus causæ ecclesiasticæ à Sede Apostolica, vel ejus Legato aut Nuntio committantur, & si aliquem ex illis mori contigerit, Ordinarius loci, una cum Consilio sui Capituli, alium in ejus locum usque ad futuram Provinciale vel diocesanam Synodum substituere debeat. Igitur absque ulla distinctione nulla delegatio in successorem ratione dignitatis transit. Non tamen ideo hoc cap. prorsus inutile est: quinimò adhuc necessarium eo casu, quo S. Pont. cum clausula, *non obstante Concilio Tridentino* delegatum in dignitate positum constituit, ut quotidie facit, nam tunc redimus ad opus Decretalium.

## In Cap. Prudentiam 21.

## SUMMARI A.

1. Plures delegati quomodo constituantur, & quid tunc juris.

**H**æc Decretalis agit de pluribus delegatis ad eandem causam constitutis, quod quandoque simpliciter, quandoque certa forma fit. Si simpliciter, necesse est, ut simul o-

maes conveniant: alioquin si unus eorum rebus humanis exemptus, vel aliter absens fuerit, reliqui in eadem causa procedere non possunt, *c. Vno delegatorum 42, c. Causam matrimonii hoc tit. & l. Duo ex tribus 19, D. De re judic.* ubi textus hanc rationem adfert, quod omnes judicare iussi sint, scilicet conjunctim: at si disjunctum, vide quæ dixi in *c. Sciscitatus 13, sup. De rescriptis.*

## In Cap. Super quæstionum 27.

## SUMMARI A.

1. Delegatus S. Pont. quatenus totam causam vel partem subdelegare possit.
2. Et quid juris in ordinario delegante.

**D**icimus ex hoc Capite delegatum summi Pontificis non tantum totam causam, sed vel principium, vel medium, vel finem uni vel pluribus subdelegare posse: hoc tamen discrimine observato, ut, si totam causam subdelegaverit, non ad se, sed ad delegantem suum, id est, Principem appelletur; si partem aliquam, tunc ad se, tamquam ad immediatè superiorem, *text. h. §. porro & in l. 1. §. fin. D. Quis à quo appell.* Ratio discriminis est, quia priori casu abdicavit à se iurisdictionem causæ totius, unde ad se tamquam Judicem provocari non potest: posteriori verò, cum adhuc Judex causæ perseveret, rectè ad eum

appellatur, *d. §. porro & c. Si delegatus 7. §. fin. eod. in 6.* His adversari videretur textus in *l. un. in fine C. Quis pro sua jurisd. & c.* ubi indistinctè constituitur, ad Principem, non ad delegatum ipsius appellari debere: item in *d. l. 1. §. 1.* Sed uterque textus est accipiendus iuxta distinctionem iam dictam, quando scilicet integra causa alteri subdelegatur. Unde idem erit in delegato ad universitatem causarum, sive qui ad plures causas simul constitutus est; ut, si is unam causam subdelegaverit, ab eo non provocetur ad subdelegatum, sed ad Principem, cum nihil iurisdictionis sibi in illa causa retinuerit, *d. l. 1. §. 1. Quis à quo appell.*

Sed an idem observandum sit in ordinario iudice, ut si is totam causam delegaverit, ipse non provocandus sit, an eius superior? Et putat Alei. in *Rubr. inf. de off. ordin. 8.* idem esse, quod in casu præcedenti, ob eandem rationem. Sed fallitur Alei. quia

E

at. quia

ar. quia nihilominus ordinarius sibi eisdem causæ jurisdictionem retinet, nisi quod actu eam non exerceat; nam eandem causam, non obstante delegatione, ad suam notitiam revocare potest, l.

*Judicium solvitur* § 8. D. De judic. Deinde sententiam à suo delegato laram ipse exequitur, l. A. dyvo Pio 15, in pr. D. De re judic. Non igitur causæ delegatione jurisdictionem à se abdicavit.

---

IN TIT. XXX. DE OFFICIO LEGATI.

**P**ost Titulum de officio Judicis delegati sequitur recto ordine hic Tit. de officio Legati, quia uti delegatus fungitur munere Judicis superioris delegantis, sive is sit summus Pontifex, sive alius Judex ordinarius, ita & Lega-

tus gerit vices §. Pont. qui quia ubique præsens esse non potest, mittit in Provincias Legatos suo nomine, cum pleniori potestate, c. 1. hoc tit. Quare repetere dicta in summa Juris Canonici lib. 1. Tit. XVII. V. A.

---

IN TIT. XXXI. DE OFFICIO JUDICIS ORDINARIJ.

**P**ost Judices, qui extra ordinem à sancto Pontifice constituuntur, sequitur de Judicibus ordinariis, quos locorum ordinarios vocat text. in c. 3. hoc tit. in 6. qui scilicet propriam jurisdictionem habent, dignitati Ecclesiasticæ ac muneri, quo funguntur, coherentem. Tales in primis sunt Episcopi, & alii Prælati Episcopo

minores, ut Ecclesiarum collegiarum & Monasteriorum Præfetti; qui tamen si fuerint negligentes in suis corrigendis, possunt Episcopi vices & negligentiam eorum supplere, c. Quanto 7. & c. Irrefragabili 13. §. excessus hoc tit. Reliqua repetere ex summa Juris Canonici lib. 1. Tit. XVI. & dictis sup. ad Tit. XXIX in princ. V. A.

---

IN TIT. XXXII. DE OFFICIO JUDICIS.

**D**e officio Judicis in genere hoc Titulo agitur. Ubi breviter notandum est, quod quemadmodum Judex interdum utiliter & ad nullius petitionem munere suo fungitur, veluti dum ea, quæ juris sunt, & minus allegata supplet, c. Bona memoria 3. sup. De postulat. Interdum verò necessariò, & ad partis petitionem, ut dum in integrum restituit, c. 2. hoc tit. dum parti litiganti,

quæ destituit patrocinio, dat advocatum, c. 1. eod. ita & petentibus judicium seu actum justitiæ interdum nobile, interdum mercenarium suum officium impendat. Hanc enim divisionem officii Judicis in nobile & mercenarium textus in d. c. 2. aut insinuat, aut ex eo saltem eliciunt & probant Interpretes. V. A.

---

IN TIT. XXXIII. DE MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

**I**nter Ecclesiasticas personas, de quibus hæc dictum est, quædam est præminentia, quæ in Rubr. dicitur Majoritas, ratione cujus qui minor est obligatur majori ad reverentiam & obedientiam. Majores autem aliqui habentur, vel ratione Ordinis, ut Diaconus Subdiacono, Diacono Sacerdos, c. Statuimus 15, hoc tit. vel ratione jurisdictionis & dignitatis, ut Archidiaconus major est Archipresbytero, qui tamen Ordine minor est seu posterior, c. Ad hæc sup. De off. Archid. vel ratione antiquitatis, ut qui prior tempo-

re est in ordine, c. 1. & d. c. Statuimus hoc tit. vel denique ex representatione personæ eminentioris quis prærogativam habet, ut qui ordinatus est à Summo Pontifice quamvis per hoc non eximatur à jurisdictione sui Episcopi, c. per tuas 7. eod. Obedientia verò consistit in honoris exhibitione, honestioris loci sessione, & potissimum in eo, ut minor obediat præcepto majoris, modò intra limites jurisdictionis suæ se contineat, nec quid mandet extra officium suum, & licita atque honesta fiat, quæ imperat. V. A.

IN TIT.

## IN TIT. XXXIV. DE TREUGA ET PACE.

**P**er Treugam intelliguntur hoc loco induciæ, per quas ad tempus ab armis cessatur, & tam personis quàm rebus temporaria præstatur securitas, discordia necdum finita, *Gl ad c. i. v. treugus hoc tit.* Idque vel ex conventionione partium, quo casu fides etiam hosti servanda est, *cap. Noli vers fides xxix quæst. i.* vel ex dispositione Canonum, ut scilicet in Quadragesima, Adventu, aliisque certis diebus abstinetur ab armis, *d. c. i.* Nisi tamen talis ingruat necessitas, ut etiam eo tempore pro aris & focis pugnandum sit. Deinde volunt Canones, ut etiam tempore belli Sacerdotes, Monachi, conversi, peregrini, mercatores, & rustici, item animalia, quorum usus est in arando, gaudeant securitate induciarum, *c. i. hoc tit.* Pax

finis est belli: unde Cicero dixit, ideo bellum geri, ut homines in pace, id est, securitate & tranquillitate vivant. Hoc tamen loco videtur potius accipi pro conventionione, qua securitas ista & vitæ tranquillitas, composito inter Principes dissidio, promittitur. Extenditur etiam ad eas conventioniones, quæ concernunt subditos; quo tamen casu non tam Pacis quàm Concordatorum nomine utimur. Cujusmodi leguntur in *Extravag. com. hoc tit.* Concordata partim inter Francos & Sedem Apostolicam ex pragmatica sanctione, partim inter Religiosos Ordinum mendicantium & Rectores parochialium Ecclesiarum in Germania. V. A.

## IN TIT. XXXV. DE PACTIS.

Ad Cap. Antigonus 1.

## SUMMARI A.

1. Pactum nudum quid.
2. Ex pacto nudo dari actionem jure Canonico.
3. An & jure civili?
4. Cur jure civili non nascatur actio ex nudo pacto.
5. Quæ actio hinc datur.
6. Dari ex nudo pacto actionem an rectè probetur ex c. i hoc tit.
7. Intellectus can. Juramenti xxii. quæst. 5.

**E**X hoc Capite Doctores nostri passim conantur evincere, ex nudo pacto non tantum exceptionem, sed & actionem nasci de jure Canonico, cum de jure civili non nisi exceptio nascatur, *l. iuris gentium 7. §. sed cum nullum §. seq. D. De pactis.*

Pactum nudum intelligimus, quod consistit in nudo consensu, ita ut non transeat in proprium nomen contractus, ut sunt emptio, venditio, locatio, conductio, & similes juris gentium contractus: item stipulatio & donatio; nam ex Justiniani Constitutione etiam donatio contractus est nominatus, *l. Si quis argentum C. De donat.* quamvis fiat, qui temerè reluctentur. Vel causam in se non habent, ut sunt contractus innominati. Do, ut des, Facio, ut facias, Do, ut facias. Si enim dedi vel feci, statim causa subest, ut tu e contra des, vel facias, quod in conventionem venit. Item

sunt pacta, quæ in ipso contractu apponuntur, vel incontinenti adjiciuntur, *d. l. iuris gent* quæ idcirco Doct. usitato more vestita appellant, ad distinctionem aliorum pactorum, quæ hæc non habent, ac proinde nuda pacta dicuntur. Exemplum est pacti nudi, si quis dicat, Dabo tibi centum, vel faciam hoc, vel illud, & alter annuat vel consentiat, nulla tamen præcedente interrogatione, alioquin stipulatio esset.

Ex his igitur pactis nudis DD. non minus a 2 actionem nasci volunt, quàm ex aliis pactis vestitis, *per h. text. & in c. Qualiter 3. inf. eod.* Rationem hanc adferentes, quòd, cum apud Deum nulla sit differentia inter simplicem loquelam & juramentum, *can. Juramenti 11. quæst. 5.* profectò sicut ex juramento obligamur, *c. i. c. Debitores 5. inf. De jurejur. c. 2. De pactis in 6. l. i. & Auth. Sacramenta puberum C. Si adversus vendit.* ita etiam ex pacto nudo nos obligari conveniat. † A eo ut plerique 3 sentiant, etiam jure civili ex nudo pacto actionem nasci; vel, ut rectius explicem, actionem, quæ jure Pontificio datur ex nudo pacto, etiam transferri debere ad forum civile. Hac ratione ducti, quòd ubi peccatum vertitur, standum sit juri Canonico, relicto jure civili, *text. in c. fin. inf. De præscript. & c. Novis. 13. inf. De judic.* At in violandis pactis peccatum vertitur, *per hunc text. in fine & in d. c. 3. inf. eod.* in verbis

E 2

Studio

Studio agendum est, ut ea, quae promittantur, opera compleantur. Facit *c. 2, De iurejur. in 6, juncto d. c. Iuramenti.*

4 Sed videamus, cur de jure civili non nascatur actio ex nudo pacto. Hujus rei rationem hanc reddunt Dd. quod imprudenter sive ex levitate quadam hoc pactum praesumatur excidisse offerenti. cum plerique homines his offerre soleant, quos non accepturos opinantur; quae de causa cum deficiat offerentis animus, merito ex eo non debet dari actio. Quippe actio ex obligatione nascitur, obligatio vero ex consensu, *l. 1. §. 1. D. De pact. qui hic deficere videtur.* Verum haec ratio non probatur Didaco Covarr. in *c. Quamvis p. 2. §. 4, num. 19.* Et rectè, nam idem posset dici in constituta pecunia, quando scilicet quis nudo pacto constituit se pro alio soluturum; & tamen absque ulla controversia nascitur ex constituto actio, *§. de constituta insit. De action.* Quin & idem posset objici de emptione, venditione, donatione, aliisque contractibus, qui solo consensu constant, cum in his Praesumptum non debeat animus major obligandi, quam in pacto nudo. Deinde si vera esset ratio, jus civile etiam non defenderet pactum nudum, dando inde exceptionem, propter defectum consensus, qui in omni pacto sive conventionem necessariò requiritur, *d. l. 1. §. 1. De pactis.* Unde magis putarem, ex sententia Covarr. *jam d. loco,* ideo actionem de jure civili ex nudo pacto non dari, quòd id pertineat ad dirimendas lites, quae frequentius ex nudo pacto oriuntur. At verò Reipubl. interest rescari lites, exemplo usucapionis, *l. ult. D. Pro suo.* Verum de jure Canonico consideratur haec ratio, propter peccatum, quod ex transgressione nudi pacti committitur, ut antè dictum est. Quemadmodum etiam venit in usucapione, quae etiam Reipubl. causà inducta sit, tamen si mala fides subsit in possessore, id est, conscientia rei alienae, ea impeditur ex juris Canonici auctoritate, *d. c. fin. inf. De praescript.*

5 Itaque ex pacto nudo orti actionem volunt communiter Dd. eaque vocatur conditio ex hoc *cap. 1.* vel potius meo iudicio, *cap. 3, eod.* Nam ubicumque nova obligatio à jure introducitur nullam actionem certam habens, agitur conditione ex lege vel ex canone, quo introducitur obligatio, *l. unica D. De condit. ex lege, juncto c. 1, De novi operu nuntiat.* Dummodò meminerimus in pacto nudo ne illud sine causa initum sit. Causam vero titulum, veluti donationis, venditionis, societatis, mutui, aut similem: ut, Dabo tibi decem

causa donationis vel mutui, vel societatis, vel emptionis, vel simili. Haec enim pacta nuda sunt, sed ex causa. Ita ex Panorm. aliorumque sententia tradit Covarr. *loco supra citato num. 24.* Sic enim stipulatio sine causa non valet, *l. 2. §. circa D. De doli mali & met. excepte* item si chirographum sive alia cautio absque causa non valet, *c. Si cautio 14, & ibi latius inf. De fidei instrum. & l. Cum de indebitis 25. §. fin. D. De probat.* multò minus valebit nuda cautio absque causa.

Caeterum etsi veram fateamur praedictam DD. sententiam, quòd ex nudo pacto oriatur actio, tamen non videtur hoc rectè probari ex hoc *c. 1.* si inspicimus acta Conc. Africani, quod Carthagine in Africa celebratum est sub Julio I. Papa, *c. 11. unde hoc c. desumptum est.* Nam ex eo constat, Antigonum Episcopum, cujus hic fit mentio, cum conquestus esset in Concilio contra Episcopum Optantium, quod ab eo turbaretur in possessione suarum parochiarum, contra pacta & distinctionem diocesani mutuo consensu factam, hoc responsum à Concilio recepisse, *Pax servetur, pacta custodiantur.* Igitur querela Antigoni Episcopi contra Optantium tota nitebatur in turbatione possessionis, quam ille consecutus erat vi pacti mutui; quae vel sola justa causa erat redeundi ad pacem & ad pactum initum. Quod enim latenter, aut per vim, aut alias illicite factum est, nulla debet stabilitate subsistere, ut habet juris regula, in *c. Quod latenter inf. De R. 1.* Neque certò constat, an plane fuerit nudum pactum, cum utriusque manu subscriptum fuerit, ut testatur idem Conc. Quare non video, quomodo ex hoc capite nostro eliciatur, & vulgò jactetur, quòd pacta nuda pariant actionem, nisi quod *c. Qualiter 3, inf. eod.* illud magis confirmet, uti paulò pòt dicam.

Sed quid respondendum ad *d. can. Iuramenti 7 xxii. quasi 5.* quo simplex loquela & iuramentum aequiparantur? Resp. Utrumque aequiparari quoad peccatum. Sive enim simpliciter falsum dixeris, sive juratus, aequè peccas, quia, inquit, idem textus, sicut in iuramento nullam convenit esse perfidiam, ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium, quia utrumque & perjurium & mendacium divini iudicii poena damnatur, dicente Scriptura, *Os quod mentitur, occidit animam.* Igitur aequiparantur quoad fallendum alterum, sive id fiat simplici verbo, sive iurejurando. Ita *d. can. Iuramenti* rectè exaudit Panorm. in *Procem. harum decretal. V. Gregorius num. 15 in fine.*

in fine. Licet gravius peccet perjurus, quam mendax simpliciter, ut monet Gl. in d. can. Juramenti, quia perjurus præter hominem etiam Deum fallere conatur. Quare sumendus est textus in d. c. Juramenti, sicut ex Panorm. diximus, non autem generaliter accipiendus, prout vulgus Doctorum facit. Alioquin in multa incidere incommoda; nam quamplurima sunt, quæ solâ simplici loquelâ non constant, sed indigent juramento. Ut, exempli causâ, depositio testis simplex absque juramento non valet, c. Nuper si. inf. De testib. & l.

jurisjurandi 9. C. eod. Item nec valet renuntiatio hæreditatis paternæ vel maternæ sine juramento, c. Quamvis h. t. in 6. Item neque alienatio dotis absque juramento, c. Cùm contingat 28, inf. De jurisjur. Similia omitto, brevitatis causâ. Unde redeundo ad rationem textus nostri, quam DD. comminiscuntur ex d. can. Juramenti, hic accommodati non potest, quia is, qui nudo pacto aliquid promittit, nec fallit, nec decipit, de quo loquitur d. can. Juramenti, sed potius liberalem animum offert, quod seq. c. Qualiter latius exequemur.

## In Cap. Qualiter 3.

## SUMMARI A.

1. Ex nudo pacto oriri actionem, an ex h. c. rectè probetur.
2. Quæ inde incommoda resultent.
3. Jure Canonico non dari actionem ex nudo pacto probatur.
4. Intellectus c. 1. h. t.
5. Intellectus c. 3. h. t.

**Q**ualiter in Sardinia, & inf. Studiosè agendum est, ut ea, quæ promittuntur, opere compleantur. Textus hic meo judicio magis probat, quod Cap. superiori tractavimus, scilicet ex pacto nudo oriri actionem de jure Canonico, si per verbum, promittuntur, etiam intelligamus ea, quæ simpliciter verbo offeruntur, & consensu alterius partis acceptantur, ut in l. Sciendum §. 2. D. De adl. edito. Licet alioqui verbum, promissum, in instrumento positum perinde sumatur, atque si præmissâ interrogatione responsum sit, pro stipulatione, §. si scriptum testit. De inutil. stipul.

Potè & hæc interpretatio non minimam difficultatem parit. Nam si eam admittamus, ut ex quavis promissione etiam simplici oriatur actio de jure Canonico, vel saltem officium judicis, ut quidam volunt, apud Felin. in c. 1. sup. eod. eveniet, ut majora incommoda incurramus. Nam scimus, de jure civili fideiussionem, sive aliam intercessionem mulieris pro alio non valere, hoc est per exceptionem S. C. Velleiani perimi, toto tit. D. & C. Ad S. C. Velleian. Item obligationem mutui à filiofam. contractam tolli per exceptionem S. C. Macedoniani, de quo similiter tit. existat in D. & Cod. Item & jure civili constitutum est, contractum celebratum à minore xxv. annis ipso jure nullum esse, aut contra eum, si læsus fuerit, in integrum restitui, juxta l. Si curatorem 3, C. De in integrum

restit. & toto tit. D. De minorib. An igitur hæc & similia hoc textu nostro continebuntur, & abrogata censebimus per jus Canonicum? Quod mihi persuadere non possum, ut scilicet ea, quæ ex æquitate & usu hominum salubriter constituta sunt, sublata intelligamus, nec puto eam fuisse mentem conditoris hujus cap. quod velit quamlibet promissionem raram habendam esse. Nam si ita esset, cur, quæso, in c. 1. h. tit. in 6. requirit S. Pont. juramentum in renuntiatione hæreditatis, sola si sufficit promissio, vel renuntiatio? Cur è contrâ improbat promissionem beneficii nondum vacantis, inf. De concess. præbenda? Utrumque contra textum nostrum, si nudè eum sequamur. Idcirco rectius putaverim, legem civilem, licet consensum in contrahendo, vel aliter agendo impedire non possit, cum is sit naturalis, posse tamè ejus impedire effectum, ne scilicet ex eo obligatio cum effectu oriatur, ut constat superioribus exemplis, & nemo est qui hoc justè negaverit, cum & ipsum jus gentium sanciverit, ut propriis legibus obtemperemus, l. 1. in fine & seq. D. De justit. & jure. Idem est in Pontificiis legibus, d. c. 2. aded ut effectum juramenti (quod juris est divini) eâ causa possit impedire. Concil. Trid. Sess. 25. c. 10, De Regularib. Ac proinde non puto textum nostrum ad omnia, quæ promissa sunt, indistinctè & generaliter pertinere, sed ea saltem eximi, quæ apertè à jure improbantur, vel ut nulla, vel ut per exceptionem elidenda.

Quare nec ex pacto nudo dabitur actio de jure Canonico, quia eam impedit jus civile, exceptionem tantum dando, non actionem, l. Juru gentium 7, §. sed cum nulla cum §. seq. D. De pact. præterquam si quæ juramento confirmata sunt, juxta regulam, quæ jubetur omne juramentum servari, quod non vergit in æternæ salutis dispendium, nec

redundat in alterius detrimentum, *d. c. 2, h. tit. in 6, & c. Cum contingat 28, & ibi latius inf. De iurejur.* Id enim efficit iuramenti vinculum, quo iurans Deo alligatur, *c. Debitores 6, inf. De iurejur.* Itaque cum jus civile impediatur actionem oriri ex nudo pacto, exceptis tamen certis casibus, quos vide apud Hostiensem in *c. 1 sup. eod.* & Salicetum in *l. Legem C. De pact.* nec jure Canonico orietur actio, *arg. text. in c. 1, inf. De novi operis nuntiat.* nisi apertius ex alio loco juris Canonici comprobetur.

4 Nam quod attinet ad *d. c. 1 sup. eod.* ibi probant ex eo perperam deduci, quod pacta nuda generent actionem de jure Canonico, cum alia ejus sententia sit, ut ante explicuimus. Deinde et si de pactis nudis acciperetur idem *c. 1.* prout hodie communiter volunt Canonistæ, acutè responderet Salicetus, ex sententia Domini sui, id est Doctoris, in *d. l. Legem*; quòd is textus robur non addat pacto nudo, sed solum corroboret id, quod antè erat, ex eo, quòd dicat, *suam obtineant firmitatem.* Sic ergò, inquit Salic. suam firmitatem obtineant, vel in agendo, si sint vestita; vel in excipiendo, si sint nuda.

Ad cap. hoc nostrum faciliè quoque responderè est, quòd per verbum, *promittuntur*, non quævis promissio accipienda sit, sed tolemnis, quæ sit per stipulationem, *l. 7, C. De contrah. & commit. stipulat.* ut ita utrumque jus inter se concilietur; cum expedit jura iuribus concordare, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitare. ut loquitur S. Pont. in *c. Cum expedit 29, in pr. De elect. in 6 & Imperator in l. unica C. De inoff. testib.* Mibi tamen non displicet eorum sententia, qui putant per denuntiationem Evangelicam nudè promittentem conveniri posse, ut solet fieri in defectum actionis vel officii judicis, ut ex omnium sententia tradit Felin. in *c. 1, num. 10, sup. eod.* Nam exempli causâ, si quis dicat, Dabo vel numerabo tibi centum ex causa mutui, vel donationis, vel alia simili, promittens simpliciter ex deliberato animo, si id non præstiterit, utique peccare videtur, ac proinde Evangelicâ denuntiatione uti poterit, quæ refertur *Matth. 18, & in can. Si peccaverit 11. quæst. 1,* cujus exemplum exstat in *c. Novis. 13, inf. De judic.*

## IN TIT. XXXVI. DE TRANSACTIONIBVS.

### SUMMARI A.

1. Transactio quomodo differat à pacto.
2. Transigere post rem judicatam non licet.
3. In transactione non requiritur solemnitas aliqua.

Vlpianus in *l. 1. D. h. t.* his verbis separat transactionem à pacto. Qui transigit, inquit, quasi de re dubia & lite incerta, neque finita transigit; qui verò paciscitur donationis causâ rem certam & indubitaram liberalitate remittit. Igitur transactio de re controversa fit, pactum de certa, de qua nulla est contentio, cui debeat. Utrumque fit remissione, sed pactum gratuito, transactio non nisi aliquo recepto, vel retento, vel promisso, *l. Transactio 38, C. De transact. l. 3, C. De repud. vel abst. hered. & c. Super 7, inf. eod.*

2 Hinc post rem judicatam transigere non possumus, sed pacisci, *l. Iuris gentium 7, §. si paciscar D. De pact.* quia res judicata pro veritate habetur, *l.*

*Res judicata 207. D. De res. juris.* Nisi fortè à sententia appellatum esset, vel incertum, an ea lata fuit, aut lata valeat; quia tunc, cum adhuc lis superest, transactio admittitur, *l. Eleganter 23, §. 1. D. De condit. indeb. & l. Post rem judicatam 1. D. h. t.* Et ratio est, quia transactio est remedium finiendarum litium, *l. Fratris 20, & l. Causas 16, C. h. t.* etiam si re ipsâ nulla lis subsit, sed de facto ab adversario intentetur, quia sufficit timor litis, *text. in l. 2, C. eod. & in l. In summa 65, circa pr. D. De condit. indeb. Jalon in d. l. 1, D. h. t.*

Præterea observandum est, in transactione nullam solemnitatem requiri, sed sufficere nudam conventionem, quâ à lite disceditur, *l. Sivo apud acta 28, C. h. tit.* quamvis nonnumquam transactio quoque fiat interveniente Aquilianâ stipulatione, *l. 2, & l. Aquiliana 4, cum l. seq. D. hoc tit. & l. Vi responsum 15, C. eod.* Quâ verò forma id fiat vide §. est autem prodita *Instit. Quib. modis tollitur oblig.*

### SUMMARI A.

1. Transactionis effectus.

### In Cap. 1.

2. Ex transactione oritur exceptio litis finitæ.
3. Transactio est instar rei judicata.

4. Tran-

4. *Transactio non rescinditur ob lationem, ne quidem gravissimam.*

5. *Nec in ea locum habet l. 2. C. De rescind. vend.*

6. *Transactio generali qua continentur.*

7. *Clauſula, ſupplendo omnem defectum, quid operetur.*

**E**X hac Decretali eleganter elicitur, quod per decisionem, ut habet textus, id est per transactionem (nam transactio rei iudicatæ instar est, *l. Non minorem 10. C. eod. tit.*) inter litigantes inita aboleantur utrimque omnia iura, quæ ante transactionem ipsis competebant, sive ex productione instrumentorum, aut testium, sive ex præscriptione, sive ex privilegio, aliove quovis iure. Convenit pro parte text. in *c. Inter monasterium 20. inf. De sent. & re iudic. & in l. Sub prætextu instrumenti C. h. t.* Et ratio est, quia ex transactione oritur exceptio litis finitæ, quæ in iudicio opposita impedit litis contestationem sive ingressum, *c. 1. De litis contest. in 6.* Ad eod. ut ne quidem Principis rescripto rescindi & causa resciscitari possit, *l. Causas 16. C. eod. tit.* Accedat, quod transactio eandem vim habet, quam res iudicata, *d. l. Non minorem, quæ & Principis rescripto retractari prohibetur, l. 1. & l. 2. C. Ut lite pendente &c.* Non igitur causa transactione sopita restaurari & in iudicium deduci potest. Quod etiam accedit, quod si instrumentum aliquod post transactionem repertum, quo causa probari potest, producat, illud non minus refutandum sit, *d. l. Sub prætextu,* impediente scilicet exceptione litis finitæ, quæ oritur, ut dixi, ex transactione.

4. Quæ etiam obtinent, etiam si is, qui tranſegit, graviter se læsum sentiat, & docere possit: non enim ideo magis transactio rescinditur, quia satis commodi reportat tranſigens, quod per transactionem à lite, cuius eventus incertus, liberetur. Panorm. *hic n. 2. per text. elegantem in l. Lucius 78. §. ult. & Ad S. C. Trebell. qui id rectè probat argumento ducto à contrario sensu.* Quin imò licet tranſigens gravissimè læsus sit, adhuc obſtat ipsi transactionis exceptio; veluti in eo, qui cum nihil planè deberet, sed propter metum litis tranſegit cum suo creditore, aliquo ipsi dato vel promisso, *per text. singul. in l. 2. C. eod. tit.* Unde graviter mihi errare videntur, qui putant remedium *l. 2. C. De rescind. vendit.* habere quoque locum in transactione, nempe ut, si tranſigens ultra dimidium iusti pretii læsus sit, possit agere ad rescissionem transactionis, vel ad supplementum iusti pretii sive æstimationis, ut videre est apud Andr. Gaill lib. 2, *Observ.*

70. *Ego latius persequar, favente Deo, ad c. 3. inf. De empt. & vend.*

Atque hæc expediti juris sunt, ubi de speciali & certa causa est transactum, vel etiam de pluribus, sed nominatim & expressim, *l. Sideocepta 31. C. eod.* At quaestio est, si de universal: sive generali actione transactum sit, qualis est actio tutelæ, curæ, negotiorum gestorum, ubi plures res unâ actione continentur, an si de ea actione sit transactum, de omnibus & singulis rebus, quæ eadem actione continentur, transactum esse censetur. Quod sanè videtur, *per text. in l. Sub prætextu specierum 29. C. h. tit.* Sub prætextu specierum (inquit textus) post repertarum, generali transactione finita rescindi prohibent iura. Probaretiam textus in *l. Non est forendus 12. D. eod.* Quod tamen mirum videtur quoad species postea repertas, cum de his cogitatum non videatur. At verò transactione tantum comprehenduntur ea, de quibus cogitatum est, *l. Cum Aquiliana 5. & l. Qui cum tutorib. 9. D. eod.* Verum rectè Jason & post eum Alciat. in *d. l. Sub prætextu,* Resp. actorem sibi imputare debere, quod sermone tam effuso generalem transactionem fecerit. Neque de huiusmodi speciebus postea repertis se non tranſegisse, allegare potest, cum saltem in genere de iis tranſegisse censendus sit, actionem generalem sciens remittendo, *arg. l. Qui iure 7. De restam. milit.* Vel, ut rectius ex Castrensi & aliis loquitur Jac. Menoch. *lib. 5. cons. 496. num. 59.* et si, inquit, de incognitis tranſigi non possit, at tamen incognita deduci possunt in conventionem per modum transactionis. Facit text. in *l. Nec emptio 8. ubi de captiſiſium agitur, D. De contrab. empt.* Unde similiter & ex generali transactione oritur exceptio litis finitæ.

Hinc Raph. Fulgositus consultus à nepote suo, qui avunculo tutori suo ratione administratæ tutelæ & curæ generalem liberationem fecerat, receptâ ab eo certâ pecuniæ quantitate, utrum scilicet jocalia, id est annulos, catenas, armillas, aliaque huiusmodi, quæ matris suæ fuerant, & consequenter ad ipsum nepotem, tamquam hæredem matris, pertinebant, transactione verò factâ ab uxore ipsius avunculi gestabantur; utrum, inquam, nepos, non obstante transactione generali, potuerit ea petere? Respondit Fulgos. eum petere non posse, & secundum hanc sententiam iudicatum fuisse, auctoritate *d. l. Sub prætextu:* & refert ibi Jason, qui tamen hanc sententiam rectissimè improbat, duabus ductus rationibus: quorum

quorum una est, quod transactio generalis siue liberatio non extendatur ad ea, quae dolo subtracta sunt, *text. in l. Tres fratres 35, D. De pactis & in l. Non solum 9, §. penult. D. De liberat. leg.* ne scilicet simplicitas remittenti damnoſa sit, & malitia alteri lucrosa, contra *l. 1, circa pr. D. De pactis* Is enim dolus in proposita specie praesumitur, ex eo, quod uxor avunculi non antea gestaverit jocalia, quam post transactionem initam. Altera ratio est, quod generali liberatione non veniunt ea, quae vindicari possunt ratione domini, *l. Aurelio 20, §. fin. & l. Aurelius 28, §. Mavia D. De liberat. leg.* Siquidem transactio, siue generalis illa liberatio tantum pertinet ad personales obligationes contractas ratione tutelae & curae, non vero ad res, quae propria actione, veluti rei vindicatione, à tutore vel curatore peti possunt, *d. §. Mavia*; nisi de his nominatim transactum esset.

Quare ex his est observanda limitatio textus nostri duplex, *d. l. Sub praetextu*. Prior est, quod non obstat transactio generalis, quando transigentis res aliqua dolo interversa est. Posterior, quod non pertineat ad res, quae ad transigentem spectant domini ratione, quando scilicet de obligatione personali est transactum. Tertia est, ubi reus, per se vel per alium instrumentis subtractis, quibus veritas argui potest, transactionem extorserit. Licet enim transactio valeat mero jure, doli tamen exceptio vel de dolo actio, si prior actio

sublata sit, datur adversus transigentem, *l. Sub praetextu instrumenti 29, C. eod.* Ubi vero transactio ex falsis instrumentis facta est, eatenus rescinditur per restitutionem in integrum, quatenus facta est praetextu instrumentorum falsorum, *l. pen. C. eod. tit.* In minore xxv. annis obrentum est, ut is adversus transactionem qualemcumque, etiam tutoris vel curatoris auctoritate factam, petere possit restitutionem in integrum, dummodò se laesum probaverit, *sic C. Si adversus transact. Cetera non persequor causa brevitate, sed consulatur Jason & Alciat. in d. l. Sub praetextu specierum.*

Porrò quod in fine hujus Decretalis subjicit *S. Pont. Cui si quid forte &c.* ex eo quaesitum fuit, an si Papa vel Imperator actum aliquem confirmaverit, adiecta clausula, suppleendo omnem defectum, si quis forte intervenerit, dicatur supplere & suppleendo tollere omnem omnino defectum. Et Resp. Panormit. *hic num. 5.* ex sententia Specular. & Archidiaconi, quod tantummodò dicatur supplere defectum solemnitate juris, non autem defectum inhabilitatis personarum, vel alium defectum naturalem: veluti si transactum sit de eo, cujus transigens capax esse non potest, vel si furiosus, amens, vel minor xxv. annis solus transfegerit: nam nisi sit Princeps de his omnibus informatus, praedicta clausula ad defectum solemnitate juris solummodò restringetur.

#### In Cap. Constitutus 4.

##### SUMMARI A.

1. Transactio super beneficio Ecclesiastico improbat.
2. Transigentes in casu h. cap. cur non priventur beneficiis.
3. Cessio seu renunciatio gratuita auctoris.

**H**AC Decretali improbat transactio de beneficio Ecclesiastico, eo quod contineat speciem simoniae. Similis textus exstat in *c. Super 8. eod.* Cum enim transactio non procedat, nisi dato aliquo, vel retento, vel promisso, *l. Transactio 38, C. De transact. professio* relinquatur, eum, qui jus beneficii, quod spirituale est, *d. c. Super*, alteri remittit, receptam vel promissam retemporaliter, incidere in notam simoniae, per hunc text. & *c. 5, inf. De rer. permitt.* Idque ad id verum est, ut nequidem inter litigantes conveniri possit de beneficio Ecclesiastico, ut, uno refundente alteri expensas,

alter à lite discedat, *c. Cum pridem 4, sup. De pact.* nisi ab eo, qui jus verum in beneficio habet, alteri injustè litiganti aliquid doneatur, ut liti cedat; nam hoc illi permissum est, redimendae vexationis causa, *c. Dilectus 28, inf. De simonia.*

Sed quaesitum est, cur uterque propter transactionem non privetur beneficio, per textum in *c. In sinuatus 13, inf. De simonia.* Imò nec eos audiri conveniebat propter propriam turpitudinem, quia allegans suam turpitudinem non est audiendus, *c. Inter dilectos 8, inf. De donat. l. Cum professarius 4, C. De revocandis donat. & l. Transactione finita 30, C. De transact.* Sed Respondet ex Innoc. Joan. ab Imola *hic*, quod in casu hujus cap. non constabat de vera simonia; nam fieri poterat, quod alter jus suum, quod habuit, justè redemerit propter vexationem: ac proinde, rescissa transactione, quae prima fronte speciem simoniae continebat, siquidem

non tantum à malo, sed etiam à specie mali abstinendum est, *c. Clm ab omni in pr. inf. De detra & honest. Cleric.* jubet S. Pont. causam utrimque cognosci.

3 Cæterum nihil prohibet, quin unus litigantium alteri amicabiliter cedere possit, *d. c. Super.* Sed tunc videtur ob stare reg. Beneficium Ecclesiasticum non posse licitè sine institutione canonica obtineri, *c. 1. De R. l. in 6.* Verùm Resp. Panor. & Imol. *in d. c. Super.* quod gratia illa cessio sive remissio non quidem titulum det, sed tantum efficiat, ut is, qui movet litem, liti renuntiet tamquam jus non habens. Neque enim eâ supe-

rioris, veluti Episcopi, auctoritate opus est, cum text. *in d. c. Super.* eius non meminerit; nisi, ut rectè ibi monet Panorm. alter per cessionem vel gratuitam renuntiationem dimitteret beneficium à se possessum. Nam non potest possessor quoquo modo beneficium dimittere absque superioris auctoritate, *c. Admonet 4. sup. De renuntiat.* Præterea observandum, judicem ex suo officio, conservandæ pacis & utilitatis causâ, litem de beneficio Ecclesiastico ita posse componere, ut uni beneficium assignetur, alteri verò quid annuum ex redditibus eiusdem beneficii, *juxta formam c. Nisi 21. inf. De præbend.*

## In Cap. ult.

## SUMMARI A.

1. Iudicis officium est litigantes inducere ad concordiam sive transactionem.
2. An indistinctè hoc possit iudex.
3. Conjugii sacramentum quatenus sit apud infidelos.
4. 5. Iudex modum pœnæ statuere ex quibus causis possit.
6. Iudex in casibus jure non decisus tenetur sequi aequitatem.

**T**Ria potissimum hoc Cap. continentur. Primum, quod iudex litigantes ad concordiam sive transactionem commovere debeat. Alterum, quod possit iudex interdum severitati juris detrudere, hoc est, moderari pœnam à jure constitutam, pro statu scil. imperii, & multitudine inspectâ excedentium sive delinquentium. Tertium est, quod in casibus expresso jure non decisus teneatur iudex servare æquitatem, semper in humaniorem partem declinando.

1 Quod ad primum attinet, notandum est, quod ad iudicis officium pertineat, non solum causas decidere secundum juris regulas, sed & inducere litigantes, ut inter se de lite transigant, vel aliter eam componant. Ita Panorm. & Avancias, *hic;* non obstante, quod rex noster utatur verbo, *poterit*, quod alias necessitatem non iniicit, sed potestati & arbitrio iudicis relinquit, *l. Non quidquid 40. D. De judic.* Et hoc non solum iudex agere debet ante litem inchoatam, sed & in progressu iudicii, post audita partis utriusque jura. *per text. in c. 1. in fine inf. De mutuis petit.* Ratio est, quia iudicis est lites, quantum fieri potest, diminuere, *l. Quidam existimaverunt 21. D. Si certum pet.* Non ta-

men potest iudex præcisè partes compellere ad transigendum, cum nemini invito jus suum auferri debeat, *l. 4. §. si quis condemnatus D. De re judic. c. c. Indultum De reg. jur. in 6.*

Sed quærit hic Panorm. an iudex indistinctè possit bonâ conscientia inducere litigantes ad transigendum. Et Resp. ex sententia Joan. Andreæ, quod non possit, si iam causam perspectam habeat, ne quod uni reverà competit, alteri attribuat, contra justitiam; præterquam si circumstantiæ personarum aliud suaserint. Quid enim si sententiæ executio sit futura difficilis, propter potentiam condemnandi? Quid si condemnandus appellare velit, & appellatio dubia, sumptuosa, aut diuturna futura sit? utique non malè fecerit iudex, si transactionem suadeat.

Quod si causa transactionem non admittat, iudex omnimodò abstinere debet à transactione, cum id frustra facturus sit: veluti in matrimonio, quod semel legitime contractum transactione partium dirimi non potest, *per h. text.* Quos enim Deus coniunxit, homo non separet, *c. per xxxii. q. 2.* Similiter si illegitimè, id est contra sacros Canones, est contractum, transactione partium non potest convalescere, *c. Non debet 8. inf. De consang. & affinit.* Ubi tamen in matrimonio nullum subest canonicum impedimentum, transactio pro matrimonio valet, tamquam per transactionem matrimonium redintegratum sit, *arg. c. 2. inf. De despons. clandest.* veluti si inter duos, in quibus nullum est legitimum impedimentum, de matrimonio litigetur, an contractum sit, mulier verò, quæ matrimonium negat, transigat, accepta dote

F

à viro,

à viro , valet transactio de matrimonio quasi de novo contracto ?

3 Quod vero ait textus , conjugii sacramentum esse quoque apud infideles, accipiendum est quoad contractum sacramenti matrimonii, qui non minus inter infideles constat, sed nequaquam ut sacramentum, eo quod baptismo careant, qui est aliorum sacramentorum fundamentum & janua, c. 2. *De cognat spirit. in 6.* & *can. Cùm itaque in fine De consecrat. Dist. 4.* Similis locus est in *e. Gaudemus 8.* circa *pr. inf. de divor.* qui & eodem modo exaudiendus.

4 Jam ad secundum caput textus nostri transeamus, quo vult. S. Pont. interdum detrahendum esse juris severitati, inspecto scilicet statu imperii, & delinquentium multitudine. Cui certe obstat responsum I. C. Claudii Saturnini, in *l. Aut facta 16, §. fin. D. De pœnis*, sub his verbis: *Nonnumquam evenit, ut aliquorum malefactorum supplicia exacerbentur, quoties, nimium multis personis grassantibus, exemplo opus sit.* Hoc verò loco jubet attemperari S. Pont. pœnam, quæ à jure constituta est, propter multitudinem delinquentium. Verum ex ipso nostro textu facile conciliatur hoc responsum Claudii. Nam textus præter multitudinem delinquentium etiam vult considerari statum imperii, ut si multitudo delinquentium imperio iudicis contineri non possit, tunc pœna remittenda sive diminuenda sit: secus, si contineri possit, & unius vel alterius exemplo opus est, de quo loquitur Claudius in *d. §. fin.* Ratio verò textus nostri est in *can. Ut constitueretur Dist. 50.* in verbis, *Vbi non huius aut illius hominis periculum, sed populorum strages facit, detrahendum est aliquid severitati &c.* Et in *can. Commissiones Dist. 44.* jubetur agi cum peccantium multitudine non asperè, non duriter, non modo imperioso, sed magis docendo & monendo.

Igitur propter multitudinem delinquentium severitati pœnæ detrahatur. Idem est, si vel alia justa causa sit pœnam remittendi vel mitigandi

ob delicti circumstantias, videlicet aut propter ætatem minorem delinquentis, aut senectutem, aut propter sexum muliebrem, aut ebrietatem, aut justum dolorem, similemve ob causam, ut fufius videre est apud And. Tiraq. in *tract. De pœnis legum temperandis & remitt.* Jul. Clarum in *Præf. crim. q. 60.* & existant de his textus in *d. l. Aut facta & in l. Respicendum D. De pœnis, & in c. Sicut 6. inf. De homicidio*, ubi circumstantiæ enumerantur, quæ potissimum sunt considerandæ in puniendo delicto, videl. causa ipsius delicti, persona, locus, tempus, qualitas, quantitas, & eventus, ob quas delicti pœna vel remittitur, vel minuitur, vel quandoque augetur. Sed hæc explicare latius nostri non est instituti.

Unde ad tertium caput textus nostri digrediamur, quo dicitur, in casibus non decisis expressè à jure iudicem debere æquitatem sequi, propendendo semper in humaniorem partem, habita scilicet ratione personarum, causarum, temporum & locorum. Confirmat text. in *s. 4, §. 1, sup. De off. & potest. iud. de leg.* Atque hoc regulare est in omnibus casibus, qui à jure certo definiti non sunt, *l. 1, in fine D. De iure codicillar. l. 1, §. 1, D. De estrahorib. & l. Continuis 137, §. cum ita D. De verb. obl. Adhibita tamen semper æquitate, ut hic textus monet, & in *l. Semper in dubiis D. De R. I.* In iis verò, quæ expresso jure caventur, non receditur à jure, etiam si iudici aliud æquius videatur, c. 1, & *52 sup. De constit. & c. 1, inf. De sent. & re iud.* Nam inter æquitatem, inquit Constantinus Imp. eiusque interpositam interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere, *l. 1, c. De legib.* Ubi æquitatem accipe pro æquitare non scripta & quæ jure consignata non est: aliàs si æquitas esset consignata, omninò præferretur juri scripto, tamquam strictiori, *l. Placuit 8, c. De iudic.* Nisi apertè permitteret legislator, ut iudex, non attento iure scripto, posset ex causa, aliisque circumstantiis aliud statuere, ut antè diximus de pœnis iuris communis, ex *d. l. Aut facta, cum similib.**

## IN TIT. XXXVII. DE POSTVLANDO.

### S U M M A R I A.

1. Postulare quid.
2. Postulare qui prohibeantur.
3. Clericus postulare quatenus permiffum.

Quòd si partes litigantes induci non possint ad componendum sive transigendum, sed omninò decretum sit iudicis aleam experiri, tunc in primis incumbit acti desiderium, id est petitionem suam, in iure, id est apud tribunal iudicis.

judicis, exponere, & ad reum vicissim pertinet petitioni actoris contradicere; hoc enim est postulare, l. 1. *D. De postulando*. Idque facere uterque potest vel per se, vel per alios, de quorum functione agit deinceps S. Pont.

Postulare autem omnes rerum forensium periti possunt, nisi qui nominatim prohibentur, quorum tres ordines constituit Prætor. Nam quidam omnino prohibentur postulare, ut pueri & surdit quidam pro aliis, ut faminz & cæci: quidam non nisi pro certis personis admittuntur, ut pro seip-sis; aut pro aliis, quorum tutelam vel curam non sponte sed necessitate gerunt, d. l. 1. §. 1. & seq.

Prohibitis postulare & Advocati officium exercere Canones adjiciunt Monachos, & qui illis æquiparantur, Canonicos regulares, saltem extra causam monasterii, c. 2. h. t. idque sive agatur coram iudice Ecclesiastico, sive laico. Idem ferè juris statuunt in Sacerdotibus, & omnino Clericis illis, qui sacris initiati Deo mancipantur: quibus tamen postulare permittitur coram iudice laico, si propriam causam aut Ecclesiæ suæ agant, aut pro conjunctis ac miserabilibus personis, c. 1. & fin. h. t. ubi ex adverso qui advocatum agit pro extraneis contra Ecclesiam, beneficio privatur, quod ab illa acceperat. V. A.

## IN TIT. XXXVIII. DE PROCURATORIBUS.

## SUMMARI A.

1. Procurator quis & quotuplex.
2. Discrimen inter procuratorem ad lites & ad negotia.
3. Procurator in rem suam.
4. Tutor vel curator non constituit procuratorem, sed actorem.
5. Procuratorem constituere permissum Prælati, Clericis, universitati.
6. Procurator præsens vel absens constitui potest.
7. Ut & ratihabitione confirmari.
8. Personis conjunctis pro se invicem agere licet, absque mandato.
9. Modò caveatur de rato, aut iudicato solvendo.

**V**tilitatem sive potius necessitatem Procuratorum eleganter indicat Ulpianus, in l. 1. circa fin. *D. h. tit.* dum ait: *Vsus procuratoris perquam necessarius est, ut qui rebus suis ipsi superesse vel nolunt, vel non possunt, per alios possint vel agere, vel conveniri.* Ita Ulp.

1. Quare Procurator is dicitur, qui aliena negotia domini mandato administrat, d. l. 1. Idque in iudicio vel extra iudicium, c. *Qui generaliter* §. h. t. in 6, Ita ut is, qui ad iudicia constituitur, vulgò simpliciter & usitatius procurator dicatur; qui verò extra iudicium, ad explicandum negotium, procurator ad negotia.
2. Sed hoc differentie est inter utrumque procuratorem, quòd is ad iudicia à domino causæ constitui debeat, non verò ab alio; & ne quidem à tutore vel curatore in rebus minorum, cum ipsi earum rerum domini non sint, l. *Neque tutores* 11,

*C. h. tit.* Ad eò ut neque procuratorem jam constituto, alium sibi substituendi jus habeant, ob eandem rationem, l. *Quod quis* 8, & d. l. *Neque tutores* C. eod. Nisi eo casu, quo tutor vel curator vel procurator litem sint contestati; quia tunc tamquam domini litis post contestationem factam procuratorem rectè constituunt, d. l. *Neque tutores* & l. *Nulla* 23, C. eod. quippe litem contestando in iudicio contrahere dicuntur, l. 3. §. *idem scribit D. De peculio*. Sed hoc amplius est in procuratore ad iudicium, quod & is substituere possit etiam ante litem contestatam, si à domino substituendi potestatem habet, c. 1. §. 1. h. tit. in 6. nam tunc substitutus à procuratore censetur ab ipso domino constitutus, tamquam prior procurator eo ipso mandatum suum in substitutum rejecerit. Neque revocare potest eundem substitutum, nisi suo mandato contineatur, c. 3, eod. tit. in 6, l. *Item* §. 1. D. *Quod cuiusq. univers. nomine*. Procurator verò ad negotia non tantum à domino, sed & ab aliis, quorum quemodò libet interest, rectè constituitur, l. 2. & l. *Si procuratorem* 8, §. 2, & seqq. *D. Mandati*.

Est & alius procurator in rem suam, qui omni tempore, nedum post litem contestatam, alium procuratorem substituere potest, c. 1, §. 1. in verbis, nisi in rem suam h. t. in 6 & l. *Illam* 33, C. *De donationib.* Dicitur verò in rem suam procurator, ad quem actionis commodum pertinet, ut quia ipsi actio vendita, donata, vel in solutum data est, cedentisque nomine eandem actionem intentat, l. fin. C. *Quando fideus vel privatus* &c. Cujus hæc ratio est, quòd hic procurator quodammodo

dammodò actionis sit dominus, propter ejus commodum. Imò & suo nomine utilem actionem rectè intendit, cum actio in ipsum ipso jure transeat, *d. l. fin. l. Emptor 5. C. de hered. vel act. vend. Et l. 2. C. De actionib. Et obligas.*

4 Sed quod antè dixi, tutores vel curatores minorum non posse ante litem contestatam constituere procuratorem, sed esse necesse, ut id fiat ab ipsis minoribus, cum tutoris vel curatoris auctoritate: nihilominus admissum est, ut tutor vel curator possit actorem constituere, cum decreto judicis, *d. l. Neque tutores C. h. tit. junctâ l. unica C. De actore à tut. Et curat. dando, Et §. fin. Instit. De curatorib. Latè Bart. in d. l. Neque tutores Et in l. Actor D. Rationem rem haberi.*

5 Sed & Prælati, cæterisque Clericis, licet hinc rerum Ecclesiasticarum domini non sint, quia tamen non sunt meri administratores, sed illarum fructus, aliaque commoda ad eos quasi ad dominos pertinent, permixtum est procuratorem etiam lite non contestatâ constituere, *c. 1. 3. 9 Et 11. h. t. Imò & ab universitate vel collegio rectè procurator datur, qui proprio nomine Syndicus vel actor appellari solet, c. vii. inf. De syndico Et l. 1. §. quibus, Et d. l. Item 5. §. 2. D. Quod cuiusq. univers. Idque necessitatis causâ, vel quia veris dominis adsimulantur, receptum est.*

6 Cæterum procurator præsens, vel absens, per epistolam vel nuntium constitui potest, *l. i. in fine cum seqq. D. h. tit.* Quod vel solo utriusque consensu fit, ex natura mandati, *d. l. i. in pr.* Quamvis interdum solemniter fiat, majoris probationis ergo, *ut in c. 1. eod.* ¶ Quin & ratihabitione procurator confirmatur: veluti si quis tamquam procurator, cum non esset, causam in iudicium deduce-

rit, litemque contestatus sit, deinde dominus ratum habuerit, quod ab eo gestum est, procurator per hujusmodi ratihabitionem approbatur & confirmatur, tanquam à principio habuisset mandatum ab ipso domino, *text. sing. in l. Licet 36. D. De judic. Gail. lib. 1. Obser. 47.* Nam ratihabitione retrahitur & mandato comparatur, *c. Ratihabitionem De R. l. in 6.*

Aliàs id quod à falso procuratore gestum est, ipso jure non subsistit, adeoque is à limine iudicii repellitur potest, *l. Licet 24. C. h. t.* ¶ Exceptis tamen conjunctis personis, quales sunt parentes, liberi, fratres, affines, liberti, quibus pro se invicem agere permixtum est etiam absque mandato, *l. Sed Et ha. persona 35. l. Famulas 41. D. eod.* Item marito pro uxore, *l. Maritus 21. C. eod.* non autem è contrâ, cum procuratorem agere sit officium virile, *l. Alienam 18. C. eod. Et l. 2. D. De R. I.* Nisi femina pro parentibus morbo aut ætate impeditis agere velit, & neminem habeant, qui agat, *d. l. Femina. ¶ Sed hic casus planè singularis est. Ut tamen his omnibus casibus is qui agit de rato caveat, id est ratum eum habiturum, pro quo agit, datis fidejussoribus, l. Pomponius 40 §. fin. Et ibi Gl. D. eod.* Atque hæc ex parte actoris. Ex parte verò rei conventi, si quis habeat mandatum, si non, potest reum defendere, præstitâ tamen satisfactione de iudicato solvendo, *Instit. De satisfact. §. fin. Et l. Qui proprio 46. D. h. tit.* Publicè enim utile est, inquit Ulp. agentes à quibuscumque defendi, *l. Servum 33 §. publicè D. eod.* Exceptis tamen causis criminalibus, in quibus nullus procurator vel defensor admittitur, sed propriâ actoris & rei præsentia opus est, *l. pen. §. 1. D. De publi. jud. Et dicam inf. ad c. Tuo §. h. t.*

## In Cap. 2.

## SUMMARI A.

1. Species facti.
2. Nemo in gravibus causis cogitur procuratorem constituere.
3. Reus citatus ex justa causa absens non condemnandus in expensas.
4. Licet per procuratorem se defendere possit.
5. Intellectus l. Papinianus 20. in pr. D. De minorib.
6. Licet etiam citatus suavit, ut per se vel per procuratorem compareat.
7. Causa graves qua dicuntur.

8. In causis levibus tenetur quis procuratorem mittere.
9. Personæ illustres per procuratorem agunt.
10. Item electus in Episcopum.
11. Causa justa absentia an iudici insinuanda.
12. Dominus cause an Et quando per se comparere tenetur.

**E** piscopus Vigornensis condemnaverat in quendam Clericum in itineris expensas, ab adversario suo factas, eo quòd citatus non venisset ad iudicium; non obstante, quòd ipse Clericus infirmitate detentus esset, & illius probandi causâ presbyterum & Diaconum ad Episcopum

Episcopum destinasset. Quae de re aditus summus Pontifex mandat duobus Judicibus, ut, nisi alia iusta causa sub sit hujus condemnationis, quam absentia ipsius Clerici propter infirmitatem, illam sententiam revocet, si ve, ut textus loquitur, eum absolvant ab eadem sententia: rationem hanc adferens, quod non possit quis cogi, nisi velit, in gravibus causis procuratorem constitutere. Quae ratio Pont. eò videtur spectare, ut tacitam objectionem removeat ipsius Episcopi, qui fortè prætexere potuisset, Clericum saltè in causa fuisse, quod procuratorem non miserit: atque idcirco se eum in expensas rectè condemnasse. Ratio aureo sanè calculo notanda. Quod sit, ut & idem juris sit in eo, qui tempestate, vel vi fluminis, vel bello, vel alià causà iustà impeditus comparere non potest, per text. in c. Cum Bertoldus 19. inf. De sent. & re judic. l. 2. §. 1. cum seq. D. Si quis cautionib. l. Si Prator 75. §. & Marcellus D. De judic. Imola hic num. 7.

4 Nec movet, quod reus absens a què per procuratorem se defendere possit: quia in primis ipsi reo citato defensio competit, & quidem jure naturali, c. Pastor alius circa fin. De sent. & re jud. in Clem. Deinde beneficio juris, reo permittitur, ut per alium possit se defendere, l. fin. in verbis, si ita maluerit, C. hoc tit. & l. 1. circa fin. D. eod. At verò quod ob gratiam alicui conceditur, non debet retorqueri in ejus dispendium, c. Quod ob gratiam De R. l. in 6. & l. Quod favore 6. C. De legib. Quod utique evenire, si in vitus per procuratorem se defendere teneretur.

5 Non obstat textus in l. Papinianus 20. in pr. D. De minorib. ubi exul non restituitur in integrum, de curso tempore à jure instituto ad petendam restitutionem in integrum, quia, inquit textus, per procuratorem adire potuit prætorem. Sed Resp. Innoc. hic in 2. solut. quod hic exul propter delictum suum in exilium missus fuerat, & idcirco non ecurreret tempus petendæ restitutionis in integrum, cum potuerit agere absens per procuratorem.

6 Et hæc ad eò usque obtinent, etiamsi reus citatus fuerit, ut per se vel per suum procuratorem responsurus compareat, sicut rectè censent Bernard. Innoc. & Imol. hic, & probat textus noster. Si enim reus cogi non potest ad constituendum per se procuratorem, ergò neque citari, ut per procuratorem respondeat. Cui accedat, quod Judex citando reum, ut per se vel procuratorem respondeat, nihil novi addat citationi, sed quod

aliàs citationi à jure incrat, exprimat. Inest autem citationi à jure simpliciter factæ, ut citatus per se vel per procuratorem respondeat. Non igitur expressio procuratoris magis oberit reo, quam si ejus mentio omiſsa fuisset; cum eorum expressio, quæ tacite insunt, nihilo magis operari soleat, l. Cornelius 69. D. De hered. instit. & l. 3. De leg. 1. præterquam iis casibus, qui recensentur à Pomponio J. C. in l. Actus legitimi & ibi DD. De R. l. quod hic non prosequor. Quare indubitati juris est, à Judice citatum, qui iusta de causa est impeditus, non teneri ad procuratorem suo nomine constituendum, ac proinde absentem condemnari non posse in expensas litis, per hoc text.

Ubi tamen notandum, textum loqui de causis 7 gravibus. Graves verò causæ hoc loco dicuntur, quæ magni momenti vel præjudicii sunt, ut est causa matrimonialis, vel quæ agitur de bonis omnibus, vel de majori parte bonorum, vel est causa infamiam irrogans. Panorm. hic num. 5. Innoc. verò causam gravem existimat, quæ intricata si ve involuta est, ut faciliè per procuratorem explicari non possit, cujus sententiam probat & Panorm. Sed soleo ego ejusmodi rem, quæ certo jure definita non est, ad arbitrium discreti Judicis rejicere, ut antè à me sæpè probatum est.

Aliter in levibus causis, in quibus quis licet 8 justè impeditus procuratorem mittere tenetur, sicut à contrario sensu colligunt Innoc. & Panorm. Nec hoc ratione caret, cum in levibus causis non soleat ita observari Judicii ordo, Auth. Nisi breves C. De sent. ex brev. recit. Et hæc est una limitatio, quod quis per procuratorem agere vel conveniri cogatur, in causis scilicet levibus.

Altera est in personis illustribus, quibus non 9 licet per se, sed per procuratorem in Judicio litigare, Auth. Hoc jus junctà l. præc. C. hoc tit. Idque efficit personæ qualitas, cui foret ignominiosum stare in Judicio more aliorum litigantium. Quare hi mittere procuratorem tenentur, etiamsi propter infirmitatem aut aliam justam causam absint, ut rectè hic monet Panorm. Et ratio est; nam cum hi non nisi per procuratorem litigare possint, frustra à expectantur, usque dum convalescant vel iusta absentis causa cesset, arg. l. Aliquando 13. §. fin. D. Ad S. C. Vellejan. Facit text. in l. an repen. D. Et quib. caus. majores.

Tertia limitatio est in electo in Episcopum, 10 qui per se vel per procuratorem se defendere cogitur, c. Cum dilecti 6. circa fin. inf. De dolo & contum. Idque ut Ecclesiæ vacanti eo citius consulatur.

11. Ceterum cum idem textus meminerit Presbyteri & Diaconi destinatorum ad excusandam absentiam ipsius Clerici condemnati in expensas; quaeritur hic est, ane iusta partis absentia necessario sit iudici insinuanda? Et certe insinuanda est, ad eum effectum, ut sententia lata contra absentem iuste impeditum ipso iure nulla sit, *text. in l. Quasitum 60. D. De rejud. & in l. Si prator 75. in fine D. De iud. Panorm. hic num. 4.* Alioqui si non fuerit insinuata, petenda esset restitutio in integrum ob causam iustae absentiae, *cor. tit. D. Ex quib. caus. majores & dicitur latius inf. De in integ. restit.*
12. Quibus illud lubet adijcere, quod sicut domi-

nus causae per procuratorem non cogitur comparere, ita nec per seipsum; cum juris beneficium sit, per se vel per alterum comparere, alterumque sufficiat, *l. fin. C. h. e. & l. 1. in fine. D. eod. juncto c. In alternativis De R. I. in 6.* quod citato non est auferendum, *c. Indultum 17. eod. tit. De R. I.* Praeterquam si criminalis causa sit, vel alia juris necessitas, quae praesentiam citati requirat: ut quia ipse melius scit causae veritatem, vel minus rixosus sit, quam ipse procurator; his enim casibus & similibus potest iudex arctare partes, ut personaliter compareant, *d. l. fin. C. hoc tit. & c. 1. De iud. lib. 6. & Gl. utrobique.*

## SUMMARI A.

1. Maritus accusans uxorem adulterii an per procuratorem agere possit.
2. Propter adulterium duplex institui iudicium, criminale & civile.
3. Maritus criminaliter convenire potest uxorem adulteram, non contra.
4. Civiliter agitur ad separationem tori.
5. Et ad lucrum dotis vel donationis propter nuptias.
6. Idque coram iudice Ecclesiastico, non seculari.
7. Repellitur ab hac actione, qui & ipse in reatu est adulterii.
8. An & maritus, qui deserendo uxorem vel alias causasaverit adulterium.
9. Uxor per vim cognita excusatur ab adulterio.
10. Repellitur & approbans alterius adulterium.
11. Ob osculum luxuriosum an mulier separari à marito possit.
12. Cur in causa criminali adulterii non liceat agere per procuratorem.

**S**ententia huius Capituli haec est, quod maritus accusans suam uxorem adulterii coram seculari iudice, ut poena adulterii coëreatur, per procuratorem agere non possit; secus, si coram Ecclesiastico iudice, ut ab uxoris cohabitatione separaretur. Et ratio est, quia priori casu iudicium criminale intentatur, publicae vindictae causa, in quo non admittitur procurator, tam ex parte accusatoris, quam rei accusati, *l. pen. §. 1. D. De publ. iud. & can. Absens III. quast. 3.* Altero vero casu iudicium civile sive privatum, in quo idcirco procurator admittitur, *l. fin. C. hoc tit. & dixi supra ad c. 2.* Quamvis textus noster iudicium hoc divortii causa institutum, mixtum potius dici velit, id est, partim criminale, partim ci-

## In Cap. Tuæ §.

vile; & ob id planè non admittit procuratorem, tantum ubi necessitas suadet.

Ut autem haec res explicatius cognoscatur, sciendum est, duplex posse institui iudicium propter adulterium, unum criminale, alterum civile, sive mixtum, ut est iam dictum. Illud in eum finem tendit, ut adulter poenam juris civilis à iudice seculari patiat, quae est gladii poena, *l. Quamvis 30 in fine C. Ad L. Iul. de adult. & §. item lex Iulia inst. De pub. iud.* adultera vero verberata in Monasterium detrudatur; potestate interim relicta marito intra biennium eam repetendi, *Auth. Sed hodie C. d. tit. §. si quando Nov. 134. Ut nulli iudiceat, &c. & c. Gaudemus 19. inf. De convors. conjug.*

Hoc autem iudicium criminale à marito tantum contra uxorem adulteram instituitur, non etiam contra ab uxore in maritum adulterum, ut est text. in *l. 1. C. Ad L. Iul. de adult.* tum quia maritus uxoris est caput, *can. Cum caput xxxiv. quast. 5.* & testatur D. Paul. ad Eph. 3. tum quia majus praedictum impendet marito ex uxoris adulterio, ob incertitudinem prolis, quam è diverso uxori ex adulterio viri, ac proinde magis marito adulterii accusatio permissa est, quam ipsi uxori, *Panorm. hic numer. 6. adde l. 6. §. 1. D. Ad L. Iul. de adul.* Sed hodie ex Carolina Constit. tit. 120. De iud. poen. maritus & uxor quoad accusationem adulterii æqui parantur, eaque fieri debet solemniter cum inscriptione accusatoris, aliisque solemnitatibus intervenientibus, de quibus hoc textu nostro *l. Liberos 3. D. De accusat.*

Jam quod ad alterum iudicium attinet, quod civile sive mixtum dicitur, eo agitur ad separationem cohabitationis propter adulterium, ut h

ut si maritus innocens ab uxoris adulteræ cohabitacione separaretur, & è converso mulier innocens à marito adultero, *text. hic, in can. Si quis uxorem suam xxxii. q. 1. can. Præcepit & can. Præceptum xxxii. q. 5. c. Ex litteris & inf. De divor.*

Præterea innocens conjux lucratur dotem & donationem propter nuptias, respectivè: hoc est, ut, si uxor adulterium admiserit, perdat suam dotem; si maritus, donationem propter nuptias, c. Plerumque 4. *inf. De donat. inter vir. & ux. c. 1. inf. Ut lit. non consolat. §. quia verò plurimas cum §. seq. Nov. 117. Ut lit. eat matri & avia &c.* Sed in hoc distat adulter maritus ab uxore adultera, quòd uxor ob solum & unicum adulterium dotem amittat; maritus verò non aliter, quàm si frequenter cum alia muliere egerit, & bis monitus non respuerit, d. Nov. 117. §. *Causas vers. Si quis in sua domo.* Itaque quoad separationem cohabitacionis exquantur uxor & maritus, non autem quoad lucrum dotis vel donationis propter nuptias.

Porro hoc iudicium civile sive mixtum instituendum est coram iudice Ecclesiastico, non seculari, ut indicat hic *text. & probat. c. 2. inf. De iudic.* quo laicis prohibetur tractare negotia Ecclesiastica, quale haud dubiè est dissolutio matrimonii quoad cohabitacionem; & extat Canon Conc. Trid. *Sed 24. Si quis dixerit, iniquis, causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.*

Cæterum videndum est conjugii, qui ad separationem matrimonii, & ad lucrum dotis vel donationis propter nuptias agit, ne & ipse adulterium admiserit: nam hac specie iustà exceptione remouetur, si quidem delicta mutuà compensatione tolluntur, c. *pen. & ult. inf. De adulte. c. Significasti 4. in fine inf. De divor. & l. Viro 40. D. Solutio matr.* Quod generale est in omnibus delictis, ex quibus civiliter agitur, ut in his compensationi locus sit, *per text. in l. Si ambo 10. §. 1. D. De compensat.* Idque aded in hoc argumento adulterii locum habet, ut, si latà divortii sententià, & separatione subsecutà, vir vel mulier, qui quæve ad separationem egit, postea fornicetur, cogatur alterum vel alteram, antè dimissamve propter adulterium rursus recipere in suum consortium, *per text. in c. Ex parte 5. inf. De divor. & notant ibid. Gl. & Panorm. qui & hanc opinionem receptiorem & favorabiliorem existimant, contra alios, qui contrarium censuerunt.*

Sed quaesitum est, si maritus indirectè uxori auctor fuerit adulterii committendi, puta eam deferendo, vel necessaria non subministrando, an agendo maritus ad separationem cohabitacionis exceptione repelli possit? Et certum est maritum exceptione repelli non posse, *text. in d. c. Ex litteris inf. De divor.* Cum, ut eleganter ait I. C. Ulp. de meretrice, ei non sit ignoscendum, quæ prætextu paupertatis turpissimam vitam elegit, l. *Palam 43. vers. non est ignoscendum D. De ritu nupt. & nemo ad peccandum ullo metu induci debeat, c. Sacris 5. inf. De iis qua vi moti sive caus. fiunt.*

Non tamen dubium est, uxorem ab adulterio excusari, si per vim oppressa sit ab alio, *can. 1. cum c. seqq. xxxii. q. 5.* liquidem, ut ait D. Hieron. corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas, *can. De pudicitia eadem q. 5.* Aut si illa maritum defunctum existimans, cum adhuc viveret, alteri nupserit, *can. Cum per bellicam xxxiv. q. 1. junctà ibid. Gl. & c. 2. inf. De secundis nupt. aut si errore decepta crediderit se à marito cognosci, cum reverà alius esset, can. In lectum d. q. 1.* Et ratio est, quòd his casibus nullum adulterium committat mulier, cum dolo careat: adulterium verò sine dolo non admittitur, l. *pen. D. Ad L. lul. de adulte.*

Item videndum est ei, qui ad separationem agit propter adulterium, an alteri causa fuerit adulterii committendi, aut saltem admissum approbaverit; nam & eo casu adulter vel adultera exceptione se tuebitur, ut respondit Scævola in adultera. Cur enim improbet maritus mores, quos ipse aut antè corrumpit, aut postea probavit? *in l. Cum mulier 47. D. Solutio matrim.* Ex quo sequitur, ut si maritus sciens uxorem commisisse adulterium cum ea concubuerit, contra eamdem non possit ad divortium cohabitacionis agere, cum eo ipso mores ejus approbasse vel ignovisse censetur. *Bald. hic, & Gl. in c. fin. inf. De adulte. quam & ab omnibus receptam testatur Did. Covarr. in 4. lib. Decretal. §. 6. num. 11: Facit textus optimus in §. fin. Instit. De injuriis.*

Quærit hic Bald. an uxor propter osculum luxuriosum aut tactus impudicos adulterii committendi causa separari possit à marito suo: item an dotem amittat? Et resp. ipse Baldus, quòd sic, cum hoc factum impunitum esse non debeat, *per text. in c. 1. Quib. modis feud. amitt. lib. 1. Baldo assentiuntur Ripa, Curtius Junior & Joan.*

& Joan. Lupus, teste Covarr. d. s. 6. nu. 4. & communem opinionem adserit ex Nicolao Bellono. Ipse tamen Covarr. improbat, dummodò ultra progressum non sit. Sola enim conjectura est adulterii, quæ non sufficit ad condemnationem, nisi etiam alia argumenta concurrant, de quibus in c. Litteris 12. cum c. seq. infra De præsumpt. Confirmat hanc sententiam textus in §. quia verò plurimas Nov. 117. Velicet matri & avia &c. ubi inter causas divortii hic casus non recensetur. Absurdum quoque est, pœnalia ad non expressos casus extendi, c. Odis De R. l. in 6. & l. Interpretatione pen. D. De pœnis, & eleganter. Menoch. De arbitr. jud. quest. casu 287. Non obstat textus in c. Maritus 4. inf. De adult. quo permittitur marito etiam ex sola suspitione uxorem adulterii accusare. Idem dicitur in l. Quamvis 30. C. Ad L. lul. de adult. quia uterque textus loquitur de accusatione, quæ ex suspitione adulterii permittitur, non autem de condemnatione adulterii, in qua cetera probatio exigitur. Idem apertè constat ex l. Quis sententiam 16. C. De pœnis, ubi in adulterio, homicidio, cæterisque criminibus aemè condemnari jubetur, nisi aut propriâ confessione aut probationibus clarissimis convictus sit. Et quod attinet ad d. c. 1. à Baldo allegatum, quo vasallus fendo privatur, si vel turpiter luserit eum uxore domini sui, illud tantummodò ipsum vasallum concernit, non verò uxorem domini; ut ea propterea adulterii condemnari possit aut debeat.

His ita constitutis, rationem textus nostri in-

quiramus, cur in criminali iudicio maritus uxorem suam adulterii per procuratorem accusare non possit. Idem & ex parte uxoris accusatæ, ut nec ipsa per procuratorem possit se defendere. Quia id commune est omnibus criminibus publicis, ut personaliter expedire opus sit, non per procuratorem, ut est text. in l. pen. §. 1. D. De publ. iud. & in c. Veniens 15. inf. De accusat. & in can. Absens III. quest. 9. Ego, relicta rationibus Glossæ & Bartoli, tum aliorum, in d. l. pen. verisimam hanc esse arbitror, quod in criminalibus liquidissimæ accusationes requirantur, ut antè dictum est, & probat text. in l. fin. C. De probat. magnumque momentum adferant ad illustrandam rei veritatem, ipsius accusati vultus, adspèctus, qualitas, sermo, constantia, text. in l. De minore 10. §. plurimum D. De quest. in l. 1. & 2. D. De testib. Atque idcirco juris conditores voluerunt, ut accusatus per se, non per procuratorem, se defenderet. Quæ ratio militat etiam ex parte accusatoris, ad facilius detegendam ejus calumniam, sicut colligitur ex l. 1. D. Ad S. C. Turpill. Cùm enim in accusatorem calumniolum pœna talionis, id est, similitudo supplicii à communi jure constituta sit, l. ult. C. De accusat. can. Quisquis II. quest. 8. & text. hic in V. talionis, certè ratio postulat, ut & hæc calumnia iisdem argumentis cognoscatur, d. l. 1. in princ. Postremò quæ hic de inscriptione & pœna talionis dicuntur, latius explicantur inf. ad tit. de accusat. Nobis ad alia, quæ utiliora sunt, & magis in iudicii frequentata, properandum est.

#### IN TIT. XXXIX. DE SYNDICO.

##### SUMMARI A.

1. Procurator, Actor, Syndicus.
2. Syndicus qualis constitui debeat.

**P**rocurator, Actor, Syndicus licet aliquando confundantur, ut patet ex c. Petio vestra 9. sup. De procurat. tamen ex usu fori ita distinguuntur, quòd procurator a domino & privato datur; actor a bonorum administratore, veluti Episcopo; Syndicus verò à communitate licita: ut si Collegium Canonicorum, vel Cœnobium, vel publicorum vestigalium socii aliquem constituent, qui quod communiter agendum erat,

non singulorum, sed totius corporis nomine agat, is actor vel Syndicus dicitur, l. 1. D. Quod cuiusque universi nomine &c.

Constitui Syndicus potest vel qui sit de collegio vel extraneus aliquis. Suadent tamen Canones Religiosis, ut causas suas per Syndicum extraneum agant. Expedi enim, ut ait textus pro parvo incommodo a strepitu causarum servi Dei esse quieros, c. unico hoc tit. id est, potius debent modicum incommodum sive dampnum sustinere in eo, quod dant Syndico, & cessare à litibus, perque alios litigia exercere. Gl. ibid. V. A.

#### IN TIT. XL. DE HIS, QUÆ VI METUSVE CAUSA FIUNT.

##### SUMMARI A.

1. Actio & exceptio quod metus causa, quando locum habent.

2. Actio quod metus causa est in rem scripta; & cur necessaria.

3. Metus

3. *Metus quid sit & qualis hic intervenire debeat.*

**D**E his hoc Tit. agit, quæ metu gesta sunt, quatenus scilicet restitui, id est rescindi, & in pristinum statum reponi debeant. Si quis enim per metum aliquid dederit, vel accepto tulerit, vel aliud quid fecerit, vel fieri passus sit, restituitur per actionem quod metus causâ; aut si quid per metum promiserit, exceptione quod metus causâ juret, *l. Metum 9. D. De eo quod metus causâ gest. esse dic.* Ita ut actio & exceptio nascatur ex eo, quod metus causâ gestum est. Adeoque actio illa in rem est concepta, ut, si res vi à me extorta ad alium, qui metum non intulit, pervenerit, nihilominus hic teneatur actione quod metus causâ; cum æquum non sit ei captiosum esse metum, qui eum tulit, *l. Item si cum exceptione 14. §. in hac actione & §. aliquando. & l. Quod diximus 16. cum l. seq. D. Quod metus causâ gest. erit.*

**U**nde notandum, actionem quod metus causâ, licet personalis sit, hoc est ex delicto personæ nascatur, tamen in rem esse scriptam, quia rem ipsam metu extortam, contra possessorem persequitur. Confirmat quoque textus in *d. l. Metum 9. §. fin. & in l. 3. C. eod.* Eaque actio ideo metum passo necessaria est, quod is ex rigore juris teneatur stare actui à se gesto, propter consensum suum, qui licet coactus nihilominus consensus est, *l. Simuliter 2. §. si metu coactus & §. fin. D. eod.* Coacta enim voluntas, ut dici solet, etiam voluvas est, *ex d. §. fin.* Prætor igitur per hanc actionem metum passo succurrit, eundem in integrum restituendo, tamquam cum eo initum fuisset. Edicti Prætoris verba hæc sunt, *Quod metus causâ gestum erit, ratum non habebitur, l. 1. D. eod.* Quod edictum cum summâ æquitate nitatur, receptum à sacris

Canonibus, ut testatur hic Tit. Non paucis tamen casibus exceptis, quibus hoc edicto opus non est, quos inferius ad c. 1. recensabo.

Cæterum videndum est, quid sit metus, de quo hic differimus. Textus in *l. 2. D. eod.* describit vim seu metum, majoris rei imperum, qui repelli non potest, scilicet absque periculo. Explicatius verò Ulp. in *d. l. 1. D. eod.* vocat metum, instantis vel futuri periculi causâ, mentis trepidationem. Inde deductum nomen putatur, quod mentem teneat sive retineat, ne liberè quod vult agat. Ut hinc non quivis metus sufficiat, sed necesse est, talem esse metum, qui in hominem constantissimum cadit; qualis est timor mortis, cruciatus corporis, vinculorum, servitutis, stupri, bonorum omnium vel majoris partis amissio, *l. 3. in fine & l. Nec timorem 7. & seq. D. eod. c. 2. & pen. h. 2.* Vanus enim timoris nulla excusatio est, ut habet juris regula, *l. Vanus 84. D. De R. l. & d. l. Nec timorem in pr.* Intellige verò per constantissimum hominem etiam constantem, ut in *in d. c. penult.* In quo tamen arbitrium judicis versabitur, qui æstimabit ex circumstantiis rerum & personarum, an justus merus illatus fuerit, *l. 3. D. Ex quib. causis majores & c. & l. Non est verisimile 23. D. h. tit.*

Observandum quoque est hic, de eo nos metu loqui, qui contra bonos mores est, non qui licitè infertur, *l. 3. §. 1. D. eod.* ut puta si veritatem judex tormentis extorsit à reo, *l. De minore 70. §. tormenta & passim D. De questionib.* aut si debitorem, qui solvendo non est, ad creditoris petitionem in carcerem detruði jusserit, donec exsolvat debitum, *l. 1. C. Qui bonis cedere poss.* nam hæc alia que hujusmodi magistratui à jure permessa sunt. Potrò ea, quæ magistratus non jure fecit per metum, etiam ad hunc Tit. pertinent, *d. l. 3. §. 1.*

In Cap. 1.

S U M M A R I A.

1. *Timor mortis impedit Religionis ingressum.*
2. *Nisi metu per ratihabitionem purgato.*
3. *Quando mulier censetur habere ratum suum ingressum.*
4. *Decretum Conc. Trid. de hujusmodi ingressu.*
5. *Matrimonium metu contractum ipso iure non subsistit.*

**H**Oc Cap. agit de muliere, quæ timore mortis vitam monasticam professæ est. Facti species hæc breviter proponitur. Nobilis quidam cum uxorem suam haberet sus-

pectam adulterii, jussit militibus suis, ut eam in silvam abductam occiderent. Qui cum gladium ad occidendum strinxissent, tandem pietate moti eidem pepercere, hac conditione, ut in monasterio habitum monasticum susceperet; quod & factum est. Postea verò, marito è vivis sublato, illa egressa Monasterio alteri viro nupsit. Quod intelligens loci Episcopus, ad instantiam Sororum hujus Monasterii, utrumque excommunicavit. Consultus hac de re Alex. III. S. Pont. mandavit cuidam Episcopo & Priori, ut utrumque à vinculo excommunicationis absolvat: recepto ta-

men prius juramento ab utroque, quod eorum mandato patebunt; deinde, si legitime probatum fuerit, mulierem non timore mortis esse Religionem ingressam, aut ingressum suum postea ratum habuisse, eam ad Monasterium & habitum resumendum censurâ Ecclesiasticâ constringant.

1 Igitur ex hoc Capite excutitur, timorem mortis impedire Religionis monasticæ professionem, idque non tam expressè, quàm argumento ducto à contrario sensu. Si enim mulier absque timore mortis professâ Monasterium repetere tenetur; ergo si ex timore mortis professâ est, non tenebitur ad Monasterium redire. Et hoc argumenti genus ab utroque jure receptum esse supra non semel ostendimus. Prebat etiam textus in *can. Praesens* xx q. 3. Et ratio est, quia per Religionis ingressum quis Deo obligatur: at Deo coacta servitia displicent, *can. Illud in fine* xx q. 1. Voluntarium sibi militem elegit Christus, *can. Non est* xv. q. 1.

2 Illud autem quod additur in mandato 3 Pont. videlicet, aut quod fecit, postmodum ratum habuisse, &c. eò spectat, quod etiam si mortis timore adacta fuerit mulier monasticum habitum suscipere, si tamen postea id ratum habuerit, eam ad Monasterium & habitum resumendum compellendam esse, tamquam per ratihabitionem metus ille purgatus fuerit, *c. Cum virum* 12, *inf. De regularib.* & *arg. textus singul. in l. 2, C. hoc tit.* Uti accidit & in matrimonio per metum contracto, quod licet ipso jure non valeat, *c. Cum locum* 14, *inf. De sponsal.* & *matrim.* & *l. Si pater* 22, *D. De ritu nupt.* rati habitionem sive consensum liberam consequentem conualescit, qui vel ex sola spontanea cohabitatione vel concubitu præsumitur, *c. Addit* 21, *inf. d. tit. De sponsal.* & *c. 2, inf. De eo qui duxit in matrim. quam pol. per adult.*

3 Sed ex quo tempore censetur mulier ratum habuisse ingressum suum disputant hic interpretes. Sunt qui putant si post mortem mariti sui substituerit in Monasterio per mensem, *arg. can. Constitat* l. q. 3. Alii duos menses exigunt, *per text. in c. Ex publico* 7, *inf. De convers. conjugat.* Innoc. autem in *c. 2, n. 3, inf. De regularib.* existimat statim mortuo marito, si Monasterium non egrediatur, quasi cessante causa cesset quoque effectus, *c. Cum cessante* 60, *in pr. inf. De appell.* Communiter verò obtinuit, rem esse arbitrariam, hoc est, arbitrio Judicis permittendam esse, *per text. in c. De causis* 4, *sup. De off. & potest. jud. deleg. ac proinde Judicem æstimare debere ex qualitate personæ, & ex tem-*

poris diuturnitate, an tacite approbaverit ingressum suum post mortem mariti.

4 Cæterum cum habeamus hæc de re decretum Concilii Trid. non puro longius insistendum esse. Igitur Concil. Trid. *Sess. 25, c. 19. De regularib.* decernit, ut si quis præterdat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum; decernit, inquam, eum audiendum non esse, nisi intra quinquennium tantum à die professionis, & tunc non aliter nisi causas, quas præterdit, deduxerit coram Superiore suo, & ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quacumque causam admittitur, sed ad Monasterium redire cogitur & tamquam apostata punitur. Ita Concil. Trid. Et quamvis hoc decretum solummodò loquatur de Regularibus, iisque masculis, tamen idem protrahendum videtur ad Moniales, cum nulla diverſitatis ratio reddi possit: ac proinde *l. 1, B. De V. S.* in hac re sequimur, ut sub nomine, *Quis*, etiam femina comprehendatur. Quod & ex eodem Concil. salubriter provisum est, ne qua puella ad professionem monasticam ante admittatur, quam ejus voluntas per Superiorem explorata sit, liberane, an coacta vel seducta ingressa fuerit, *Sess. 25, c. 17.*

5 Ex hoc itaque *c. 1*, unum casum habemus, quo metus ipso jure actum infirmat. Alter est in matrimonio, quod & metu contractum ipso jure non subsistit, uti paulò antè in sinuavi, *ex c. Cum locum* 14, & *c. Requisivit* 17, *inf. De sponsal. & matr.* Et ratio est, quia metus repugnat tribus bonis, ut loquimur, matrimonii, scilicet Sacramento, proli, & fidei; quæ in quovis matrimonio necessariò concurrere debent, saltem tacite, etiam quoad animum contrahentium, *can. Omne itaque* xxiii. q. 2. Sacramento ideo, quia matrimonium designat unionem Christi cum Ecclesia; quæ fuit spontanea, & *Debitum* 5 *sup. De bigamis non ordin.* Atque idcirco necesse est, matrimonium liberè contrahatur. Proli repugnat, quia, ut dici solet, malè respondent coacta ingenia, *can. Praesens vers. quod quis non diligit* xx. q. 3. & subsequenter matrimonium contrahentes procreandæ proli non studebunt, quod matrimonio planè adversatur, *c. In inf. De conditionib. appof.* Denique repugnat fidei; nam propter metum in vitas nuptias contrahentes facilè à

conjugali fide desciscunt, & in adulterium labuntur. Ex quibus fit, quod matrimonium iusto metu contractum ipso jure nullum sit; adeo ut nullâ rescissione aut in integrum restitutione opus habeat per actionem quod metus causa. Ter-

tius casus est in dote per metum promissa, *l. Simuliter 21, §. si dos D. hoc tit.* Ceteros casus, qui pauci sunt, quibus scilicet ipso jure actus per metum celebratus nullus est, vide in *Gl. & apud DD. inc. 2, hoc tit.*

## In Cap.

## SUMMARI A.

1. Subsidium vita alteri subtrahens occidere dicitur.
2. Mors quarumdam rerum amittendarum an sit iustus.
3. Debitum per vim extorquens perdit suum jus.
4. Ut metum iustum evitemus non est consentiendum peccato.
5. Quia si actui per metum gesto iuramentum accesserit?
6. Matrimonium metu contractum etiam iuramento accedente nullum est.
7. Iuramentum contra bonos mores praestitum non obligat.
8. Iuramentum metu praestitum iure Canonico an sit obligatorium.

**S**ingularis & unica hæc est Decretalis, quæ jubetur rescindi, quod per metum amissionis bonorum gestum est, etiam si iuramento sit confirmatum. Nam ex facto proponitur, quemdam Clericum abjurasse Ecclesiam suam, eod quod videret se universa possessione, nisi faceret, deturbatum iri. Hunc igitur Clericum S. Pont. hæc Decretali restitui jubet ad eandem Ecclesiam. Decisionis ratio est, quod iusto metu coactus Clericus abjuraverit Ecclesiam suam. Quod ex eo colligitur, quod cum vita nostra sine temporalium subsidio subsistere non possit, certe qui subsidium alteri subtrahit, occidere eundem dicitur, *l. Necare 4. D. De liberis exhib. & can. Pasce 85. Dist.* Unde sicut metus mortis & cruciatus corporis, restitutionem mereatur, *c. pen. h. tit. l. 3. & l. Nec timorem 7. D. eod.* ita & metus amittendi omnia bona sua. Idque expediti juris est, *per hunc text.*

**S**ed quaestio est, an metus non omniam, sed quarumdam rerum amittendarum iustus sit. Quod putat Panorm. *hic ex sententia Gl.* si scilicet de majori bonorum parte agatur; cui assentiuntur Goffred. Curtius Jun. & alii relati a Covarr. *in 4. Decret. p. 2. §. 4. in fine.* Quippe & hinc iusti timoris causa est, *arg. l. Propter litem 21. D. De excusat. tut. & c. 1. De restit. spoliat. in 6.* cum, amissâ majori parte bonorum, se familiamque suam pro dignitate quistueri non possit. Facit text. *in l. fin. §. si*

## Abbas 2.

*favoretor D. h. t. & in l. In eadem causa 10. in fine D. Ex quib. caus. majores.* Quod exemplo illustrandum est. Petis à me centum tibi dari, alioquin te paratum esse, ut me ex villa Titiana, qua major pars patrimonii mei continetur, dejicias: quod periculum dejectionis ut effugiam, do tibi centum. Quare propter hunc metum illatum rectè peto mihi restitui illa centum, eo quod is metus iustus sit, cadens in constantem virum, propter periculum dignitatis vel æstimationis meæ diminuendæ.

Sed ponamus ista centum, vel aliam quamcumque rem, sive mobilem sive immobilem, à me tibi deberi ex causa iusta, hoc casu notandum est, ex Constitutionibus Imp. cum, qui sibi hac ratione jus dicit, & rem à debitore per vim extorquet, puniri in amissionem juris sui, *per text. in l. Si quis in tantam C. Unde vi, in §. sed ne dum salta In sit De vi bon. rapt. & in l. Exstat 13. D. h. n. tit.* Dum tamen meminerimus, metum rerum amittendarum non posse iustum dici, si, ut illum evitemus, malimus consentire peccato: veluti in puella, quæ ne amittat res suas, mavult stuprum vel adulterium pati; cum pro nullo metu, inquit textus *in c. Sacris 5. h. t.* debeat quis mortale peccatum incurrere. Unde eadem puella non poterit actione quod metus causa agere ad id quod sua interest, ratione virginitatis amissæ; licet agere possit *ex c. 1. & inf. De adult.* ut scilicet à stupratore in uxorem ducatur & dotetur, & sic ex alio capite.

Sed quid si actui per metum gesto iuramentum accesserit, ut in specie huius nostri *c. & c. 3. & 4. eod.* ante propter iuramentum actioni quod metus causa locus erit? Quod proprius est, *per h. text. in V. abjurare.* neque enim iuramentum supplet defectum consensus coacti, *l. fin. C. De non num. pecunia.* At contra facit text. *in d. c. 3. h. tit. & in c. Si verò inf. De iurejur.* ubi absolutio datur à iuramento per vim extorto. Valet igitur tale iuramentum ipso jure, eum absolutio præsupponat obligationem, sicut privatio habitum, *l. Decem 116. D. De verb. oblig.* Item facit text. *in c. Cum contingat 28. inf. De iurejur. & in c. 2. De pact. lib. 6.* ubi hæc

regula traditur, quodd toties juramentum, sine vi, sine dolo & sponte præstitum, servandum sit, quoties non redundat in præjudicium alterius, nec servatum vergit in dispendium salutis æternæ: argumento scilicet ducto à contrario sensu, ut si vi ac dolo præstitum sit juramentum, servari non conveniat. Accedat text. in *Asth. Sacramenta puerum C. Si adversus vendis. per vim autem* inquit textus, aut per justum metum extorta juramenta nullius esse momenti jubemus.

6 Ut autem hanc rem rectius explicemus, duo in primis præmonenda sunt. Unum, quodd matrimonium metu contractum, etiam accedente juramento, ipso jure nullum sit, quia pugnat contra tria substantialia bona ipsius matrimonii, sicut supra eod. ad c. 1. explicavimus, ideoque ab eo absolutio necessaria non est, c. 2. *inf. De eo qui duxit in uxorem &c. Sibi Gl. Panor. & Præpos. Latius Covarr. in 4. Decretal. p. 2. §. 5. n. 2. cum seq.*

7 Alterum est, quodd juramentum contra bonos mores præstitum non sit obligatorium, c. *Non est obligatorium De R. l. in 6. s. Quanto 14. De jurejur. & Auth. Quod eis C. De nups.* Appellamus verò juramentum contra bonos mores, quodd turpitudinem, id est peccatum, in se continet; quippe juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, d. c. *Quanto & can. Inter cetera xxii q. 4.*

8 Quibus ita præmissis, observanda est supraddicta regula, quodd toties juramentum servandum sit, quoties & c. Et quodd ibidem additur, sine vi, sine dolo præstitum, arguit quidem à contrario

sensu hujusmodi juramentum per vim præstitum non valere, sed eo sensu, quoad effectum absolutionis, ut scilicet absolutio ab eo peti possit, juxta d. c. *Si verò inf. De jurejur.* Interpretes juris civilis ed passim videntur descendere, quodd potent tale juramentum isto jure nullum esse, per d. *Auth. Sacramenta puerum* At verius Canonistæ tradunt, juramentum metu præstitum mero quidem jure obligare, per hunc text. & in c. *seq.* sed absolutionem ab eo peti posse: quorum opinio eommunis est, teste Imola *ind. c. Cum contingat n. 3. Latè And. Gail. lib. 2. Observ. 42. quem tamen confercum Covarr. ab eo nihil discrepante.*

Non impedit textus *ind. Auth. Sacramenta puerum*, quemadmodum nec text. *ind. d. l. Non dubium 5. in fine C. De legib.* ubi etiam omnia juramenta contractui invalido adjecta infirmantur, tamquam accessoria ad contractum nullum: quia hæc juris civilis sunt, nos autem hac in re, ubi de juramento agitur, tamquam de re spirituali, sequimur jus Canonicum, etiam in foro civili, per text. *inc. 2. De jurejur. in 6. Imola d. n. 3.* Nam & ad Ecclesiasticum judicem pertinet cognoscere, an juramentum sit obligatorium c. *Novis 13. inf. De judic. &c. Per venerabilem 34. sup. De elec. Neque obstat text. noster, in quo nulla absolutiois à juramento fit mentio; quia ea subintelligenda est, ut ita jura jurius concordent, c. *Cum expediat in pr. De elec. lib. 6. & l. unica C. De inoff. testib.**

## IN TIT. XLI. DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

### SUMMARI A.

1. In integrum restitutio quid, & quibus concedatur.
2. Quando concedenda
3. Est remedium extraordinarium.

**H**ic Tit non rectè subjicitur superiori de his qua vi &c. sinaturæ ordinem & seriem Tit. in D. sequamur, quæ præcedit hic Tit. tamquam generalis, & postea subjicitur Tit. *Quod metus causa &c.* qui specialis est, l. 1. & 2. d. *de restit. in integrum.* Verùm non soleo ego in Titulorum connexionem scrupulosè inquirere, quæ magis auctori arbitraria quàm necessaria est, ut alias sæpius memini.

1 Est autem in integrum restitutio nihil aliud, quàm in pristinum statum reductio adversus id, quodd antè actum vel gestum est. Conceditur ea minoribus xxv. annis, in contrahendo vel aliàs

captis, etiam si auctoritas curatoris vel tutoris intervenerit, l. 1. & passim d. *de minorib. & tit. C. Si tutor vel curator intervenerit, &c. Constitutus 8. h. tit.* Deinde, exemplo minorum, datur Republicæ & Ecclesiæ sive Monasteriis, l. 4. C. *Ex quibus caus. majores, l. 3. C. de jure Reipubl. lib. 11. c. 1. & c. 3. h. tit. cum similib.* Tertio conceditur quoque majoribus xxv. annis, ob absentia vel erroris causam, tit. d. *Ex quibus causis majores & l. 1. §. fin. d. Quod falso iure &c.* Et hi præcipui sunt, qui restituuntur; nam recensentur & alii *ind. l. 1. & l. 2. d. eod.* de quibus non multum hic ad laborandum est, nisi quodd de metus causa supra egerimus, & de alienatione judicii mutandi causâ infra tit. proximo agatur.

Verumtamen non omnes, quos antè enumeravimus, indistinctè in integrum restituuntur, sed per judicem causâ cognita, si ea ipsi justa vide-

videbitur, l. 3. C. h. t. l. i. in fine & l. 3. in fine D. Ex quib. caus. majores & c. i. h. t. in s. Idque in actibus tam judicialibus quam extrajudicialibus, ut infra h. tit. latius videbitur. Cum enim id, quod in contractibus vel aliter semel placuit, displicere non possit, c. Quod semel de reg. jur. in 6. l. Sicur. 1. C. De actionib. & obligat. item cum rei iudicata auctoritas tanta sit, ut ne quidem rescripto Principis retractari possit, l. fin. C. Sententiam rescindi non posses profectò ubi quis adversus contractum aut quid

aliud à se vel suo nomine gestum restitui petit, necesse est justa causa subire, ob quam se restitui postulet.

Observandum autem est, restitutionem in integrum esse extraordinarium remedium, ac proinde necessarium non esse, ubi quis ipso jure munitus est. Qui enim communi auxilio sivemero jure excusatus est, ei non debet tribui extraordinarium remedium, l. In causa 16. in princ. D. De minorib.

## In Cap. i.

## SUMMARI A.

1. Ecclesia restituitur & fungitur jure minoris.
2. Modò probet se læsam esse.
3. Ecclesia quomodo & cur restituatur, cum ipso jure tuta videatur.
4. Ecclesia restituta in lucro morari non debet.

**H**OC Cap. de Ecclesia in integrum restituenda agitur. Nam consultus Alexander III. de prædiis Ecclesiasticis minore pretio in emphyteusim concessis, rescribit prædia Ecclesiæ esse restituenda, eo quod Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari; hoc tamen addito, ut expensæ bonæ fide & utiliter in rem ipsam factæ possessoribus refundantur. Et quamvis loquatur de emphyteusi, idem tamen tenendum est in aliis contractibus, ut venditionis, locationis, vel simili, cum quoad in integrum restitutionem, Ecclesia, quandocumque læsa est, rectè postulet in integrum restitui, uti tradunt Panorm. Imola, & Mandos. hic, & est text. apertus in c. 1. eod. tit. in 6. Ratio est, quia Ecclesia, ut dixi, fungitur jure minoris. text. hic & in c. 3. circa fin. eod. ar. minor ex omni contractu, quo læsus est, restituitur. l. 1. junctâ l. Aut prætor 7. in pr. D. De minorib. Quæ ratio efficit, ut & ulterius nobis progredi liceat, ut scilicet omni casu, quo minor restituatur, restitui quoque debeat Ecclesia, sicut rectè tradunt Imola & Mandos. hic & Oddus tract. De restit. in integ. p. 1. q. 3. art. 4.

Antequam verò Ecclesia restituatur, necesse est, ut probet se læsam esse; ita enim & in minore constitutum est, l. Minoribus 5. C. De in integ. restit. minor. Et in Ecclesia probat cum hic textus, in verbis, & manifestè apparet, scilicet per testes & alia legitima documenta, ut rectè hic docet Panorm. tum etiam text. in c. un. eod. in Clem. in ver-

bis, se læsam affirmat. At manifestissimi juris est, affirmanti incumbere probationem ejus, quod affirmat, l. 2. D. De probat. Et ratio in confesso est, quia læsio in facto consistit, quæ autem facti sunt, potius ignorantur, quam præsumuntur, c. 1. in verbis, cum sint facti de confesso in 6. Igitur læsio tamquam fundamentum intentionis suæ ab Ecclesia probanda est, l. In exceptionib. 19. & d. l. 2. D. De probat.

Porò hic duo quæruntur: unum, quâ ratione Ecclesia in pretio decepta restituatur in integrum, cum videatur hoc ipso tuta fuisse. Etenim ut res Ecclesiæ immobilis alienari possit, necesse est, ut Ecclesiæ ipsius necessitas, vel utilitas, vel saltem pietas suadeat, c. Nullis. inf. De reb. Eccl. alien. & c. un. eod. tit. in Extravag. commun. juncto can. Sine exceptione, can. Aurum cum can. seq. xii. q. 2. At verò ubi Ecclesia in pretio læditur, nulla est utilitas, sed damnum; ergò non tum restitui debet Ecclesia, quàm declarari, alienationem ipso jure esse nullam. Quæ enim ipso jure non valent opus non habent præscriptione, l. In causa 17. in princ. D. De minorib. Verissimum nihilominus est, Ecclesiam hoc casu, quo in pretio decepta est, restitui oportere; id enim hic tradunt Gl. Innoc. Panorm. Bald. & Imola. Et ratio est, quia ipso jure valet contractus, ubi Ecclesia in pretio rei circumventa est. per h. text. & in c. 3. & 6. inf. De emp. & vendit. Sufficit enim in alienatione rei Ecclesiasticæ necessitatem vel utilitatem subesse, licet in pretio erratum sit; cum hoc extrinsecus & accideret veniat, non principaliter, ut eleganter hic probat Panorm. num. 17. & facit text. in l. 1. & l. Quod dicimus 7. D. De auctoritate tutorum.

Alterum est, dum textus ait, colonis expensas, quibus possessiones meliores reddiderunt, restituendas esse, apertè insinuat S. Pont. quòd

ficut Ecclesia vel quis alius, qui restituitur, in damno morari non debent, ita neque in lucro; atque idcirco quidquid ad eam pervenit, hoc debere alteri refundere. Confirmat text. in l. un. C. de reputatione. Quapropter iniquum esset, restitutionem in integrum, quæ ex æquitate descendit, l. D. h. tit. hoc operari, ut restitutus locupletaretur cum alterius injuria, adversus jus naturale, l. Nam hoc natura 4 d. de condic. indeb. Et Locupletari de R. 1. in 6. Et hinc singulariter tradit Innoc. quod non teneatur is, qui cum Ecclesia contraxit, reddere rem, nisi ei prius satisfiat de

pretio, sumptibus & labore, ut Innocentii mentem interpretatur & probat Panorm. hic: ut possit uti retentione rei pro pretio, sumptibus & labore. Facit text. in l. In fundo 38. in l. Sumptus 48 d. de rei vind. junctâ l. Julianus 13 § offerri d. De act. empti & vend. Quod & probat Bartoli de Strina assententis, retentionem rei à jure concedi, ubi ejusdem rei nomine facta sunt expensæ, aut à alienum contractum est, in l. Si non forem 26 § si certum d. de condic. indeb. Cætera de impensis vide pulchrè apud Panorm. hic n. 4.

In Cap. Cum venissent 2. c. Auditis 3. & c. Tum ex literis 5.

SUMMARI A.

1. Ecclesia restituitur etiam quoad actus judiciales.
2. Ecclesia adversus aliam Ecclesiam quomodo restituitur.

**C**AP. primo actum est, quomodo Ecclesia in contractibus in integrum restituitur, idque eâ ratione, quod Ecclesia jure minoris utatur; quâ eadem ratione motus S. Pont. eamdem restitutionem transfert quoque ad actus judiciales; ut si Prælati Ecclesiarum vel Monasteriorum, siue eorum procuratores, negligenter quid omiserint in judicio, quod ad causæ suæ propugnationem vel defensionem pertinet, petere possint restitutionem in integrum, siue id durante judicio factum sit, siue latâ sententiâ definitivâ. Item siue factum sit contra privatum, siue contra aliam Ecclesiam, per hos text. præcipuè in c. 3. & 5. item in c. 1. & 2. eod. tit. in 6. At certi juris est, minorem xxv. annis, licet etiam auctore tutore vel curatore in judicio egerit, vel se defenderit, & lationem passus sit, restitui in integrum oportere, l. Aut prætor 7. §. sed & in judicis d. De minorib. Et tit. C. Si adversus rem judicatam. Item & si Ecclesia condemnata non appellavit, restitutionem petere poterit, ut elapsum tempus appellationis ipsi restituatur, c. un. h. tit. in Clem. & textus in c. 5. h. tit. quia idem competit minoribus, l. Et si 8. al. l. Aut prætor 7. §. pen. d. De minorib.

Ex quo notandum est, quod omnia jura loquentia de minoribus in materia restitutionis in integrum trahi debeant ad Ecclesiam: quod memoræ insigendum moerit Panorm. hic in c. 3. num. 13. intelligendo per Ecclesiam etiam Monasterium, ut hic in d. c. 2. & c. 3.

Sed quæstionis est, quomodo Ecclesia adversus aliam Ecclesiam in integrum restituitur; cum privilegiatus non possit uti privilegio suo contra eum, qui eodem privilegio munitus est, ut tradunt Dd. nostri, per text. in §. sed & hoc præsentis Nov. 123. De sanctiss. Episcopis, & in Auth. Nisi rogati C. Ad S. C. Trebell. que desumpta est ex d. Nov. Utrobique dicitur, quod si hæres, aut alius quipiam fideicommissio gravatus sit, ut, si nuptias non contraxerit, aut liberos non habuerit, alteri, puta Titio, restituat hæreditatem, vel legatum, vel aliud quid, evanescere fideicommissi conditionem, si hæres vel donatarius Monasterium ingressus fuerit, aut clericalem habitum adsumerit, quasi Monasterium siue status Ecclesiasticus vice liberorum sint. At si non Titio aut alteri privato fideicommissum relicto sit, sed in redemptionem captivorum, siue alimentionem pauperum, substitutio facta fuerit, hac specie voluit prædicti textus, in d. §. sed & hoc & in d. Auth. Nisi rogati, locum esse fideicommissio, etiam si hæres vel alius quis fideicommissio oneratus Monasterium ingressus sit, tamquam una pia causa alteram impediatur, hoc est, privilegium concessum Monasterio, ut causâ liberorum habeatur, non excludatur aliam piam causam, cum & hæc loco liberorum habeatur. Sed facilis responsio est, quia in iisdem textibus una causa pia aliam excludit; non ideo, quod eodem privilegio fruatur, sed quod una pia causa ex præsumpta voluntate testatoris proficiscatur, altera ex expressa. Quod hæc fideicommissi siue donationis conditio, si hæres vel donatarius liberos non susceperit, vel nuptias non contraxerit, deficiat per ingressum Religionis, hoc accidit ob præsumptam

tam testatoris sive donatoris voluntatem, eo quod præsumatur testator vel donator prætulisse Titio tamquam homini privato, Monasterium vel statum Ecclesiasticum, quem fortè hæres vel donatarius potuisset eligeret & ingredi. At ubi non Titius, sed Monasterium sive alia pia causa expressè substituta est, hoc casu cessat præsumpra illa voluntas & cedit alteri expressè. Ita Covarruv. in c. Mala fidei p. 2. §. 2. num. 4. Unde planè erroneum esse suspicor, quòd Dd. ex d. §. sed & hoc præsentis, & ex d. Auth.

Nisi rogati, vulgò jactitant, privilegiatum non posse uti privilegio contra similiter privilegiatum, cum contrarium potius proberetur ex l. Verum 11 §. fin. v. de minorib. Deinde ubi minor contra minorem vel Ecclesia contra Ecclesiam in integrum restituitur, tantummodò is vel ea restituitur, qui læsus, læsive est, non autem qui læsus non est, etiamsi in potentia habebat idem privilegium, quando lædebat, & sic nullus actu est privilegiorum concursus. Vide quæ latè disputant Dd. in c. In præsentia inf. de probat.

## In Cap. Suscitata 6.

## SUMMARI A.

1. Facti species.
2. Restitutio in integrum adversus sententiam Pont. aut. Principis peti potest.
3. Sententia hodie in personam domini, non procuratoris, concipitur.
4. In integrum restitutio an & quando per procuratorem rectè petatur.
5. Restitutio in integrum an cum alia actione concurrere possit.
6. Restitutio est inutilis, ubi sententia ipso jure nulla.
7. Pendente judicio restitutionis in integrum regulariter impeditur sententia executio.

**H**le textus quædam singularia continet, ideoque facti species præmittenda est. Inter Episcopum Burgensem & Monasterium Oviensè sententia definitiva lata fuit à S. Pont. ac deinde petita à procuratore ejusdem Monasterii restitutio in integrum adversus sententiam, propter omisam exceptionem præscriptionis, quâ docere vult res illas, de quibus disceptabatur, præscriptione sublatas esse. Hanc itaque restitutionem concedit hic Pont. adversus sententiam à se latam: adjectâ tamen hac clausulâ, ut quia præsumptio est contra procuratorem, quòd ex malitia, ad impediendam scilicet executionem sententiæ, petat Monasterium restitui, sententia prius executioni mandetur, deinde idonea cautio præstetur ab Episcopo, pro quo sententia lata fuit, ut, si Monasterium jam in integrum restitutum victoriam in causa reportaverit, omnia, quæ medio tempore à sententia lata Episcopus percepit, ipsi Monasterio restituantur.

<sup>2</sup> Hic primò nota, quòd, licet sententia S. Pontificis vim legis habeat, §. Sed & quod Principi Insit. de jure nativ. nihilominus contra eam peti potest

restitutio in integrum, per text. in c. Tum ex literis 5 h 1 & l. Minori 19 §. 1. v. De minorib. quia id æquitate suadente permittit Princeps, ubi scilicet ipsi subreptum, vel novæ defensiones allegantur, d. §. 1 & d. c. Tum ex literis

Alteram est, quòd sententia contra dominum principalem lata, procuratore agente in judicio, valeat hoc jure Canonico, Glos. hic in V. Monasterium, & nosant idem Panor. & Imola. Secus est de jure civili, quo non nisi in procuratorem sententia ferri debet, l. 1 C. De sent. & interloc. om. jud. eo quòd procurator per contestationem litis factus sit dominus litis, l. Nulla 23 C. De procurat. & c. 1. §. 1. de procurat. in 6. Verum cum hæc juris civilis meta sit subtilitas, recessum ab ea est per jus Canonicum; quòd & in Camera Imperiali servari testatur And. Gail. lib. 1 Obs. 111. in quibus in Camera semper sententiam concipi in personam domini, sive dominus in judicio præsens sit, sive non sit.

Tertiò singulare est, quòd procurator possit petere restitutionem in integrum absque speciali mandato, quando scilicet restitutio incidenter petitur, puta contra sententiam interlocutoriam idem ex communi Dd. opinione tradit hic Panor. Adeoque verum est, ut etiam post sententiam definitivam, antequam elapsi sint decem dies, qui concessi sunt à jure ad appellandum, eadem restitutio in integrum implorari possit, per h. text. nam & hac specie restitutio in integrum incidenter peti dicitur, cum sententia nondum transierit in rem judicatam, ac proinde necdum exspiraverit mandatum procuratoris. Unde sicut procurator post sententiâ definitivam appellare potest absq; novo mandato, c. Mandato 13 sup. De proc. & l. Invitus 17 C. eod. ita quoq; potest petere restitutionem in integrum adversus sententiam absq;

NOVO

novo mandato, quasi & hoc priori mandato in-  
sit, *Gl. hic in V. postulatavit & ibid. nos. Panor. & Imo-  
le, & facit text. in l. Adrem 16. & in l. Ad legatum  
63. D. De proc. At si restitutio in integrum princi-  
paliter, id est à principio, petatur, veluti contra  
contractum vel sententiam definitivam, quæ in  
rem transit judicatam, speciale mandatum à  
procuratore exigitur, l. Illud 26 § fin D. De mino-  
rib. & l. unica C. Etiam per proc. &c. Exceptis tamen  
iis personis, quæ legitimam à jure administra-  
tionem habent, ut sunt tutores, curatores, Præ-  
lati Ecclesiarum, & similes, qui & absque man-  
dato speciali principaliter, & rectè petunt se re-  
stitui, ex sententia Innoc. quam probat & hic Pa-  
nor. quia hæ personæ, ut jam dixi, administratio-  
nem bonorum à jure habent, ideoque in iis nullo  
alio mandato opus est.*

Non movet, quod dici solet, quoddam in inte-  
grum restitutionem tamquam extraordinarium  
remedium non deveniatur, quando superest or-  
dinarium *text. in l. In causa cogniti ne 15. D. De mi-  
norib. At verò sententiâ latâ, competit appella-  
tionis remedium, quod ordinarium est, l. Et in  
majoribus 20. C. de appell. &c. De appell. 11. inf. d. tit.  
& c. Quod ad consultationem 15. inf. De sent. & re judi-  
cata: ergò videtur cessare restitutio in integrum,  
cùm remedium sit extraordinarium Verùm falsa  
hæc est sententia, cùm & possit concurrere re-  
medium ordinarium cum extraordinario, ut in  
specie d. l. In causa § Pomponius, ubi conditio si-  
cut causa concurrunt cum in integrum restitutione.  
In subsidiario remedio certum est illud non ve-  
nire, ubi remedium adest ordinarium, veluti in  
actione de dolo, quæ non nisi in subsidium da-  
tur, deficientibus scilicet aliis actionibus, l. 1. §.  
ait prator cum aliquot ll. seqq. D. De dolo malo. Resti-  
tutio verò in integrum etsi extraordinarium sit  
remedium, non tamen est planè subsidiarium, uti  
actio de dolo, ac proinde cum alia actione con-  
currere potest, d. §. Pomponius: maximè ubi extra-  
ordinarium remedium plenius est, id est utilius,*

quàm sit ordinarium, sicuti ex communi Dd.  
calculo tradit Oddus *tract. de restit. in integ. p. 1. q.  
17. n. 33. ut in appellatione & restitutione in inte-  
grum adversus sententiam latam. Quippe resti-  
tutio in integrum à tempore lesionis intra qua-  
dringentum intentari potest, l. fin C. De temporib. in  
integ. restit. Appellatio verò non nisi intra decem  
dies à sententia lata, *text. in § 1. Nov. 23. De appellat.  
& d. c. Quod ad consultationem. Deinde qui appellat  
coram iudice superiore appellationem prosequi  
debet: restitutio verò in integrum coram eodem  
iudice, qui sententiam tulit, peti & peragi potest,  
d. l. In causa § fin.**

Sed quid respondebimus ad principium d. l. In  
causa cognitione? Textus se ipsum explicat, videli-  
cet eo casu, quo contractus, vel etiam sententia  
iudicis ipso jure nulla est, fore inutilem restituti-  
onem in integrum; cùm nihil sit, quod per eam  
rescindi vel restitui possit, utpote actu ipso jure  
non subsistente, l. 3. in V. oportere, & ibi notant Dd. C.  
De integ. restit. Vide latius Oddum d. q. 17. per tot.

Jam quod spectat ad quartum singulare hujus  
Cap. ex eo dicimus, licet aliàs à jure constitu-  
tum sit, ut pendente coram iudice causa restituti-  
onis in integrum, impediatur executio sen-  
tentiz, *text. in l. unica C. In integ. restit. postulatà &c.*  
hoc tamen eâ moderatione accipiendum esse, nisi  
contra petentem restitui in integrum præsum-  
ptio sit, quoddam malitiosè ad impediendam execu-  
tionem sententiz se restitui postulet: nam tunc  
executio quidem sententiz fit, sed præstitâ cau-  
tione idoneâ (quæ sit dato fidejussore vel pigno-  
re, l. Si mandato Titii 59. in fine D. Mandati) de refun-  
dendo ea, quæ præcepta erunt, petenti restituti-  
onem, si postea in causa triumphaverit, *per hoc  
text.* Unde generaliter notat *Gloss. ult. hic* quoddam ubi-  
cumque in dubio quis admittitur, cautio ab eo-  
dem præstari debeat, *per text. hic & in l. fin C. Depo-  
sit. hared. l. In fundum 9. C. De legatis & l. 1. à quo 58. D.  
De rei vind.*

#### In Cap. Constitutus 8.

##### SUMMARI A.

1. Species facti proponitur.
2. Minor quando restituatur.
3. Tempus restitutionis in integrum minori & Ecclesia quando currat.
4. Restitutio ultra operari non debet, quàm fuerit lasio.
5. 7. Libellus sive petitio actoris alternativè an concipi possit.

6. Actor forum rei sequi tenetur.
8. Solemnitas in alienatione rerum minoris quæ requiritur.
9. 11. Ius retractus an licitum de jure vel consuetudine.
10. Ius retractus probatum in Vet. Testamento.
12. Ius retractus ad quosum consanguinitatis gradum extendatur.

14. Clericos susceptio ordinis Ecclesiastici non eximit à patria potestate.

**E** Legans facti species hoc Cap. proponitur. Maritus & uxor habebant communia prædia (possessiones vocat textus, usitato apud SS. Canones nomine, tum etiam apud jus civile, in l. Quoties 15, C. De rei vind. & l. Interdum 78, D. De verb. signif.) Maritus, defuncta uxore, & relictis ex se atque uxore duobus liberis minoribus xxv. annis, quorum unus erat Canonicus, eadem prædia vendidit: sed postea animadvertens, venditionem illam pro portione, quæ filiis ex materna successione debebatur, jure non subsistere, propter l. 1, C. De bonis matern. eosdem filios emancipavit, & ita eos patriæ potestate solutos fecit consentire venditioni. Præterea consuetudo erat in loco contractus, quod proximioribus consanguineis venditoris liceret rem alteri venditam intra annum & diem retrahere, hoc est ad se revocare, refoeso emptori pretio. Verum hi duo filii passi sunt tempus ad retrahendum constitutum elabi: unde quia læsos se existimant, ideo summum Pont. adiecit, ac petunt eundem contractum venditionis pro portione sua declarari nullum: aut si jure factus sit, se restitui in integrum, non solum adversus contractum, verum etiam adversus lapsum anni & dici, qui ad retrahendum requirebatur. Itaque S. Pont. causam hanc quibusdam committit, & mandat, ut, si in venditione ommissa fuerit juris solemnitas, pronuntient contractum esse nullum pro portione filiorum: si intervenisse solemnitatem juris animadvertent, & læsos ipsos esse constiterit, utroque casu utrumque filium in integrum restituant.

Hactenus facti species. Cujus hæc sententia est, quod minor xxv. annis restituatur in integrum adversus contractum, vel id, quod omiserit, si ex eo se læsum probaverit, & tempus restitutionis non dum effluerit. † Tempus verò restitutionis est quadriennium, ubi minor factus est major, & sic minor restituatur usque ad xxix. ætatis annum, l. ult. C. De temporib. in integrum restit. Nisi quod in Ecclesiis, quæ minoribus æquiparantur, solum quadriennium constitutum sit à tempore læsionis, juxta c. 1, h. t. & c. 1, & c. 2. eod. in 6. Alias si planè Ecclesia in omnibus æquipararetur minori, nunquam ipsi tempus quadriennali curreret, quod esset absurdum. Ut hic notanda sit differentia inter Ecclesiam & minorem, quod scilicet Ecclesia circa restitutionem in integrum, licet utatur eodem jure, quo minor, tamen differ-

quoad tempus petendæ restitutionis, quod statim currit Ecclesiæ; minori verò non nisi post expletum tempus xxv. annorum, quo major dicitur, jam ad jurib.

Ubi quoque addidero, quod jam mihi incidit, quod quamvis restitutio in integrum intra quadriennium comperat, non tamen ex ea amplius concedatur quàm in quo petens restitutionem læsus est: puta si minor vel Ecclesia, vel alius quispiam justa de causa petat in integrum restitui adversus lapsum decem dierum, qui constituti sunt à jure ad appellandum, vel ad terminum probatorium, qui elapsus est, puta ad mensem, vel alium terminum, à judice præfixum, is non aliter restituatur quàm ad illud tempus sive terminum, ex ejus lapsu læsus est, per text. in c. unico h. t. in Clem. 1. Sed etsi per prætorum 26, §. quatuor & l. Nec non 28, D. Ex quib. causis majores &c. nam cum restitutio in integrum nihil aliud sit quàm in pristinum statum reductio, ultra operari non debet, quàm læsio fuerit, ex l. jam allegatis.

Cæterum ad Cap. nostrum propius regrediamur, cui etiam adversari videntur. Primum est, quod petitio filiorum alternativè concepta fuerit, scilicet ut contractus declararetur nullus, aut ut restituatur in integrum. † At in alternativis libellus à jure improbat, per text. in l. Prætor 7, §. quod autem D. De injur. cum ex eo judex sententiam rectè formate non possit, quod alias requiritur in sententia, §. curare Instit. De actionib. & l. fin. C. De sent. qua sine certa quant. profer. Secundum, quod de jure retrahendi adfertur, repugnat aperte l. Dudum 14, C. De contrah. empr. † Tertium, quod, cum actor forum rei sequi teneatur, c. Cum sit generale inf. De foro compet. & l. 2, C. De jurisd. om. jud. etiam in hoc judicio restitutionis, l. 2, C. Vbi & apud quem &c. mirum videatur, cur laici emptores hic coram S. Pontifice conventi fuerint, contra text. in c. Novit. 11, inf. De judic. & c. Per venerabilem inf. Qui filii sint legit.

Nihilominus, his non obstantibus, hujus Cap. decisio justissima est, ut ex argumentorum resurrectione apparebit. † Quod etiam ad libellum alternativum attinet, nihil impedit, libellum ita concipi, imò quandoque necesse est, ubi ex duobus rebus altera solvenda venit debitoris arbitrio, propter juris regulam, In alternativis debitoris esse electionem, c. In alternativis De R. l. in 6. vel quando certò non constat, utro quis remediò ex duobus vel pluribus agere debeat, per hunc text. Idque admissum est, ne jus suum creditor amittat,

rat, l. 1, §. quia avem D. Quor. leg. torum. Sufficit enim incertitudinem in progressu causæ declarare, ut ita formare iudex possit certam sententiam, quod latius persequitur And. Gail. lib. 1, Obs. 62. Neque movet textus in d. l. Prætor §. quod autem; quia ibi actor certus est, quænam injuria ipsi illata fuerit, atque idcirco non admittitur alternativè, videlicet hæc vel illa injuria mihi facta est. Cum igitur filii, de quibus in facti specie, probabiliter dubitaverint, utrum in venditione solemnitas à jure requisita intervenerit, vel non intervenerit, duo remedia in libello alternativè accumulaverunt.

8 Solemnitas verò in alienandis prædiis minorum (ut hoc obiter inferam) in his tribus consistit. Primum est, ut in ea interveniat auctoritas tutoris aut curatoris, §. nunc admonendi Inst. Quib. aliter licet vel non II. Ut subsit causa alienationis necessaria, uti ob res alienum contractum, l. Ob as alienum 12, C. De prædiis & aliis reb. minor. Item ob dorem vel donationem propter nuptias, l. Lex qua 22, C. De adm. tut. III. Judicis cognitio & decretum, tit. D. De reb. eorum, qui sub tutela &c. & d. tit. C. De prædiis &c. Idque in rebus minorum immobilibus, atque etiam mobilibus, quæ servando servari possunt, non aliis in rebus, quæ servando pereunt, ut sunt vestes acritæ, animalia supervacua, fructus &c. quæque cognitionem & decretum judicis non requirunt, d. l. Lex qua. Ideoque in alienatione rerum immobilium minoris si prædicta tria non concurrerint, vel unum ex his deficit, alienatio ipso jure nulla est, per text. in l. Et si is 9, & ibid. Gl. in F. rescissa, & in l. Si quidem 11, C. d. tit. De prædiis &c. Sin autem adhibita fuerit dicta solemnitas, minori læsæ adhuc in integrum restitutio datur, per hunc text. & in d. l. Si quidem, quibus ad de text. in l. 3, & ibi Dd. C. De in integ. restitut.

9 Ad secundum argumentum de jure retrahendi, hoc est rem venditam ad se trahendi, refuso pretio emptori, adversatur quidem ei d. l. Dudum & De contrah. empt. quæ unicuique liberum relinquitur rem suam vendere; cui vim addere injuriosum censetur, si cogatur proximo suo aut consorti divendere. Verum textus hic noster contrarium insinuat, fundatus in consuetudine approbata, quæ quis tenetur rem suam consanguineo proximo vendere; ut, si alteri vel remotiori vel etiam extraneo vendiderit, competat proximiori jus rem ad se revocandi, reddito emptori pretio, quo ipse eam emit. Et ratio est, quia consuetudo,

si ea rationalis sit, juri communi derogat, & ult. sup. De consuet.

At obicies, consuetudinem hanc rationabilem dici non posse, cum rextus in d. l. Dudum eam injuriosam vocet. Quod certè primà fronte videtur, cum coarctet liberam potestatem vendendi: attamen ex alio capite rectè defenditur, quòd res in eadem familia per consuetudinem hanc conferretur; siquidem lugubre & deplorandum foret, videre paternas & avitas domos, atque antiqua majorum prædia in extraneas manus transferri. And. Gail. lib. 2, Obs. 19. Optimè facit text. in l. Lex qua 22, vers. Nec verò domum vendere C. De adm. tut. in l. In fundo 39, in V. laribus, sepul. hrisque avitis D. De rei vindic. in l. Si emptione 36, D. De minorib. & in l. 1. D. De privi. credit.

10 Quibus accedant testimonia veteris Testamenti, quibus hoc jus retractus comprobatur & receptum fuit. Levit. c. 2. his verbis Dominus Deus loquitur: Si alienatus frater tuus venderis possessumculam suam. & volueris propinquus ejus, potest redimere quod ipse venderat. Et Jerem. 31, Eme tibi agrum meum, qui est in Anathoth; tibi enim competit ex propinquitate, ut emas. Quem locum enarrans D. Hieron. non erat, ait, licitum possessionem de tribu transire ad tribum, nec de familia ad aliam familiam, ut refert Titus. De utroque retractu in præf. num. 7.

11 Hæc igitur consuetudo ex his causis sustinetur, non attentà d. l. Dudum. Ut hinc ratio rationi ex causa cedere cogatur: sicut & videmus in legibus abrogatis per posteriores leges, quarum alie, licet rationabiles fuerint, tamen ex nova causa & superveniente rerum usu per posteriores rectè tolluntur, text. elegans in: Non debet 8, inf. De consang. Quòd pertinet, quod ex communi opinione tradit Covarr. lib. 3, Var. Resol. c. 12, num. 4. quod consuetudo per legem abrogata possit ex nova causa induci, quia nova causa tollit iniquitatem prioris consuetudinis, quæ inesse videbatur ipsi consuetudini eo tempore, quo lex eam ut iniquam reprobavit. Quare licet d. l. Dudum jus retractus improberet, nihilominus ex alia causa, videlicet conferendi generis vel familiæ, rectè sustineretur, si ve id per consuetudinem fiat, si ve per statutum. Panor. hic. nuus 5. Qua de re ex stat. statutum Bavaricum in Reform. tit. 23, art. 2. quo hoc jus retractus permittitur proximioribus hæreditibus usque in annum & diem. Et quamvis sint, qui existiment hoc jus retractus non esse contra d. l. Du-

*d. l. Eudum*; eo quod jus retractus non prohibeat rem cuiuscumque vendi, sed ut res alteri vendita possit retrahi à proximo consanguineo, hoc tamen in idem recidit: quid enim interest, mihi, an alteri res vendatur, dummodò eandem rem alteri venditam, restituti ipsi pretio, possim avocare, *l. Is qui actionem 15, D. De R. l.*

<sup>12</sup> Hoc autem jus retractus, quod aliàs vocatur jus *retractus*, & jus congrui, quasi congruat sive conveniat, ut proximus consanguineus venditoris rem potius ad se trahat, ad quorum consanguinitatis gradum extendemus? Et respondet *Tiraq. de Retractu §. 1, Gl. 9, num. 22. Et seqq.* usque ad decimum gradum, ex sententia *Cæpollæ causarum civilium consilio 43, columna 1. cum seqq.* eo quod successio hæreditaria inter agnatos & cognatos sit tantum ad decimum gradum, §. *fin. junctâ ibid. Gl. Instit. De success. agnat.* Quod verum non opinor, cum hic nulla hæreditaria successio detur, sed tantummodò habeatur ratio generis sive familiæ conservandæ, quæ quo magis protenditur, eo diuturnior & celebrior est. Neque profus certum est de hæreditaria successione ad decimum duntaxat gradum, *propter textum in §. si verò neque fratres Nov. 118, De hæredib. ab intest. venientib.* qui textus hæreditariam successione nullò certo gradu circumscribit, sed in infinitum producere videtur, quod hic latius non persequor. Vide de jure proximæ Constitutionem *Frederici Imp. apud Cujacium lib. 5. Feud. sub finem, & Matth. de Afflictis Tract. De jure proxime seos*, in qua aliud retrahendi jus & ordo traditur. Apud me parva hujus Constitutionis est auctoritas, quippe quia ea prolixior exstat apud *Affl. Et. brevior apud Cujac. neque in corpus Juris relata est.*

Jam ad tertium argumentum redeamus, quo quaesitum fuit, cur hæc causa ad *S. Pont.* delata fuerit, reo existente laico. *Imola hic n. 8.* putat hoc accidisse, propter consuetudinem loci, *arg. c. Cum*

*Clericus inf. De foro compet. aut saltem municipium illud, cujus in textu nostro fit mentio, subjectum fuisse Ecclesiæ etiam quoad jurisdictionem sæcularem, c. Per venerabilem 13, inf. Quis filii sint legit. Quod posterius probat Covarr. Var. Resol. lib. 1. c. 4. num. 2. cum seqq.*

Ubi duo quoque prætermittenda non sunt: unum, quomodo contra hos filios minores in textu nostro cucurrerit præscriptio, cum ex Justiniani Constitutione contra minores non currat præscriptio, sed fiat ipso jure tuta, *l. fin. In quib. caus. in integ. restit. necess. non est. l. fin. C. De temporib. in integ. restit.* Sed *Retp. id verum esse in præscriptione à jure communi inducta, non quæ specialiter statuto vel consuetudine loci, ut est præscriptio anni & diei, de qua hic in textu.* Argumento est, quod Justinianus in *d. l. fin. In quibus caus.* tantummodò illas præscriptiones, quæ antè minoribus nocebant, sed restituebantur per constitutionem suam, cassare voluerit, non quæ postea consuetudine vel statuto introducerentur, de quibus non cogitabat.

Alterum est, quod Clericus per susceptionem <sup>14</sup> ordinis Ecclesiastici non eximatur à patria potestate. Ita enim ex *Innoc. & communi modernorum sententia* tradit *hic Panorm. & confirmat lex juris civilis in Auth. Presbyteros C. De Episc. Et Cler.* Quamvis id privilegii Clerici ab eodem Justiniano consecuti sint, quod bona eorum, quocumque modo ab iis acquisita, redigantur in numerum castrensium bonorum, *d. Auth. Presbyteros desumpta ex Nov. 123. De sanctiss. Episc. & consequenter patres, quorum sacris continentur, usumfructum in iis sibi vindicare non possunt, l. Cum oportet 6, in princ. Et §. cum autem Constantini C. De bonis qua liberis Et. Solo Episcopo excepto, qui propter prærogativam dignitatis Episcopalis patriâ potestate liberatur, Auth. Sed Episcopalis C. De Episc. Et Clericis, d. c. Per venerabilem.*

## IN TIT. XLII. DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA.

**T**IT. hic est velut appendix superioris, in quo docetur, quod qui ut debitorem suum vexet, actionem sibi competentem transfert in alium potentiorum ac duriorum adversarium, debiti jacturâ mulctetur, *l. 2. C. Ne liceat potentiorib. Et c. 2. h. tit.* Ubi Clerici qui dono vel pretio à laicis in se transferunt actiones, idque ut

adversarium cogant causam suam agere vel defendere coram suo iudice Ecclesiasticis censuris compesci iubentur. Is quoque, qui iuxta rescriptum *Pont.* obtentum quidem, sed necdum exhibitum, coram certo iudice conveniendus erat, si vel antè appeller, vel possessiones suas in alium transferat, vel malitiosè ablit, ut hoc pacto fru-

H 2

struetur

retur adversarium suum, & rescriptum eludat, nihil agit: & potest Judex à Pont. delegatus (etiam si alienantis tantum in rescripto fiat mentio) procedere etiam contra eum, in quem alienatio facta est, *c. 1. h. 2.* Jure civili datur in factum actio

ei, in cujus fraudem alienatio facta est, adversus alienantem, ad omne id, quod e us interest, talem alienationem factam non fuisse, *l. 1, 2, & 3. D. eod. V. A.*

## IN TIT. XLIII. DE ARBITRIS.

## SUMMARI A.

1. Arbitri qui dicantur.
2. Qui arbitratores.
3. Arbitri juris.

**A**rbitri hoc loco dicuntur, qui ex conventionione partium sumuntur ad dirimendam litem; qui & ideo arbitri recepti sive compromissarii vocantur, *tit. D. & C. De receptis arbitris & l. Rem non novam 4. §. 1. C. De judic.*

Dixi, hoc loco; nam & alias in jure iudices dati, quos delegatos appellamus, arbitri dicuntur, *l. Arbitro, cum l. seq. D. Qui satisfare cog. l. 1. D. De collat. dotis, cum aliis* Item nonnumquam arbitri appellantur illi, quibus extra litem in aliquo

contractu arbitrandum quid committitur: veluti in locatione, ut opus arbitrio locatoris fiat; in societate, ut partes lucri ab altero lociorum vel alio extraneo constituantur, *l. Societatem 77. §. fin. cum l. seq. D. Pro socio, et h. vulgò arbitratores nuncupentur.*

Sunt & arbitri juris, qui ex præscripto juris adsumuntur: veluti si Judex suspectus allegerit, jubentur partes eligere arbitros, qui de suspitionis causa cognoscant, *c. 4. & c. 11. De officio & potest. jud. deleg. in 6. & l. ult. C. De judicis.* Sed neque hic textus ad illos pertinet, sed tantummodò agit de arbitris, qui ex libera conventionione partium adsumuntur.

## In Cap. 1.

**Q**uod hoc Cap. dicitur de uno vel tribus adsumendis, consilii potius est quam præcepti; siquidem & rectè pari numero adsu-

mi posse constat *ex c. seq. & c. Innotuit 12. inf. eod. & l. Item si unus §. si in duos, & §. principaliter D. De arbitris.*

## In Cap. Non sine multa 1.

## SUMMARI A.

1. Arbitrium cum juramento partium an adsumi possint.
2. Juramentum quando servandum sit vel non.
3. Juramenti vis spectat ad forum Ecclesiasticum.
4. Arbitri an beneficium Ecclesiasticum uni adjudicarent, interveniente certâ pecunie quantitate, possint.
5. Juramentum fraudulenter extortum an valeat.

**D**uo ex hoc Cap. observanda potissimum occurrunt: unum, quòd arbitri cum juramento partium adsumi possint, etiam in causis beneficialibus. Alterum, quòd arbitri ex causa possint uni adjudicare beneficium Ecclesiasticum, & eundem condemnare alteri in certam pecunie quantitate. Accedat tertium, quòd juramentum per dolum & fraudem adversarii extortum ipso jure valeat. Sed singula latius inspiciamus.

Quod enim ad primum attinet, de juramento, quo se adstringere possunt partes, deferendo arbitrorum sententiæ, huic contrarius textus objeci-

at in §. quia vero multa Nov. 82. De judicib. & *Auth. Decernit C. De receptis arbitris ex d. Nov. de sumptibus, licet obscurus.* Quo loco Justinianus improbat hoc juramentum, adeoque ipsum arbitrium, cui adjicitur; idque ob periculum perjurii, quod ob facultatem jurantium inde consequi solet.

Nihilominus, non obstante hoc jure Justiniano, adhærendum est textui nostro, quo illud juramentum non improbat, uti patet ex fine *cap. nostri*, in verbis, *ad observantiam ipsius, & ibi Glos. Innoc. Panorm. & Imola.* Et ratio in promptu est, quia pendet ex illa juris regula, quâ dicitur, *¶ Toties juramentum esse servandum, quoties non redundat in præjudicium alterius, nec vergit in dispendium salutis aeternæ, ex c. Cum contingat 8. in fine inf. De jurejur. & c. 2. De pactis in 6.*

Ut mirum sit, Bart. *ind. Auth. Decernit*, ex dicta juris Canonici regula contrarium existimasse. eo quòd prælatio hujus juramenti sit contra præceptum Principis, *in d. Auth. decernit*, cui parere omnes tenemur sub reatu mortali; & per conse-

queas juramentum servari non debeat, cum vergat in dispendium salutis æternæ. Verum huic argumento Bart. facile occurritur, negando præceptum Principis contra juramentum nos obstringere sub peccato; ¶ cum juramenti vis non ad forum Principis, sed Ecclesiasticum, tamquam res spiritualis, pertineat, c. *Venerabilem* 34, *vers. idem etiam cum vers. seq. sup. De elect. & c. Novus 19. inf. De judic. ejusque obligatio in ipsum Deum dirigatur, c. *Debitores inf. De jurejur.* Adeoque ratione juramenti etiam adversus præscriptum juris civilis quis conveniri possit coram iudice Ecclesiastico, c. *fin. De foro compet. in 6.* Imò etiam iudex secularis cogi per censuram Ecclesiasticam ad ejus observationem, ut est textus in c. 2. *De jurejur. in 6.* Igitur certi juris est, juramentum adjecti posse arbitrio sive cõpromisso, refragare licet jure civili.*

Ad alterum quod attinet, res satis implicata est, propter text. *in e. i. sup. De pactis & in c. 4. sup. De transact.* quibus non permittitur alteri litigantium cedere liti de beneficio motæ, eâ lege, ut expensas factas ab altero recipiat, propterea quòd hæc pactio simoniæ speciem contineat. At verò hoc textu nostro arbitrorum sententia sustinetur, quâ unus liti beneficii cedit, alter verò contra in reversionem quinque marcarum condemnatur, ut liquet ex *fine cap. nostri*, & magis confirmat textus in c. *Nisi 21. inf. De præbendis.* Quare Hostiensis, ut refert eum Panorm. hic, distinguendum putat inter cessionem juris spiritualis, quæ libero partium consensu fit, & eam, quæ ex arbitrorum sententia: ut priori casu pecunia vel alia res tem-

poralis intervenire non possit, juxta d. e. 4. posteriori verò possit, eo quòd non sponte, sed quodammodo ab invito ex arbitrorum sententia temporale præstetur, *text. hic & in d. c. Nisi.* Verum hanc distinctionem aperte refellit *text. in c. fin. inf. De rerum permut.* qui in arbitrorum sententia idem censet, quod in spontanea cessione juris spiritualis, quippe utroque casu juris spiritualis, quippe utroque casu juris spiritualis æstimatio quædam est. Quare rectius existimat Imola hic, arbitrorum sententiam eo casu valere, quo solius pacis vel pietatis respectu pecunia vel alia res temporalis erum statuitur, *per hunc text. in fine & in d. c. Nisi.* Secus si in compensationem cessionis juris spiritualis condemnatio fieret in temporalis alteri applicando; nam hæc specie sententia arbitrorum in simoniæ notam incideret, & consequenter non valeret, *d. c. fin. junct. c. 4. 5. sup. De transact.*

Quod autem juramentum fraudulenter extortum ipso jure valeat, innuit *text. h. in fine, in V. absolvas*, quod præsupponit obligationem. Quamvis Gl. ibid. verbum *absolvas* interpretetur, absolutum ostendas, cum juramentum ad illicita non extendatur, c. *Quanto 18. & c. Quintavallis 23. inf. De jurejur.* Sed cum arbitrorum sententia in favorem vel gratiam alterius partis lata ipso jure valuerit, licet exceptio doli mali adversus eam detur, l. 5. *C. h. s.* & consequenter etiam juramentum substituerit, ab eo absolutione opus habet; præsupposito tamen, quòd sententia arbitrorum non simoniacæ, sed pro bono pacis lata fuerit: nam alias verior videbitur interpretatio Glossæ.

In Cap. Dilecti. 4.

SUMMARI A.

1. Compromitti in foeminam an possit.
2. Judicandi munus interdicitur mulieri,
3. Nisi aliud consuetudine loci receptum sit.
4. An ob honestatem prohibeatur.

Quod ab Imp. Justiniano constitutum est in *l. fin. C. De recept. arbitr.* ne scilicet mulier in arbitricem eligatur; pulchrè hoc nostro textu restringitur, nisi mulier ex consuetudine loci jurisdictionem sibi acquisiverit. ¶ Ex quo enim mulieri officio judicandi à jure interdictum est, *l. Cum prætor 11. § penult. D. De jud. & l. 2. De R. l. consequens est*, ut neque in eam compromitti

possit, *d. l. fin.* si quidem arbitria ad imitationem judiciorum redacta sunt, *l. fin. D. eod.* ¶ Unde è diverso si consuetudine loci receptum sit, ut iudex esse possit mulier, poterit & arbitrium in se suscipere, tamquam minus majori in hæc, c. *Plus semper De R. l. in 6.*

Neque verum omninò est, quòd Panorm. hic putat mulierem ob honestatem prohiberi iudicem esse, atque idcirco contra honestatem hujusmodi consuetudinem introduci: nam aliud evincit responsum I. C. Pauli, quo commemorat foeminam moribus prohiberi, ne iudex sit, *in d. l. Cum Prætor § moribus.*

In Cap. Cùm dilectus. 6.

SUMMARI A.

1. Coram arbitru quis reconveniri non potest.

2. Coram ordinariis verò iudicibus potest.
3. Ut & coram delegatis.

H 3

4. Rario

4. Ratio dicitur etiam inter hos & arbitros.
5. Arbitrarius unum adjudicando rem an possit eundem alteri condemnare in pecuniam.
6. Arbitri potestas.

**A** Pertet hoc Caput statuitur, ne quis reconveniri possit coram arbitris, quia, inquit textus arbitri iudicare non possunt nisi de his tantum, de quibus est compromissum. Eadem ratio extat in l. Si cum dies 26, §. plenum & in l. Non distinguemus 37, §. fin. D. De recept. arbitr.

**2** Secus obtinet in iudiciis ordinariis, coram quibus reus ab actore conventus recte reconvenit actorem suum, etiam ex alia causa, licet alias actor alterius fore sit, quia per conventionem jurisdictionis iudicis prorogatur ad reconventionem, l. penult. cum Auth. seq. C. De sent. & interloc. omn. iud.

Idem observatur in delegatis iudiciis, ut non minus coram iis reconventioni locus sit, in c. 1, & c. 2, inf. De muris perit. Quod tamen non videtur, cum hi cognoscere non possint nisi de rebus in mandato expressis, c. 32, & c. Petro & G. 40, sup. De offic. & potest. iud. deleg.

**4** Verum diversitatis rationem hanc reddit Panorm. hic numer. 6. quod iudex tam ordinarius, quam delegatus, invito reo adiri soleat. Nam hinc dicitur iudicium in invitum reddi, l. Inter stipulantem 83, §. si Stichum D. De verb. oblig. Unde merito ex hac causa reo subvenitur, ut etiam invitum actorem in eodem iudicio reconvenire possit. Cujus enim in agendo observat arbitrium, eum & habere contra se iudicem in eodem negotio, id est, iudicio, non dedignetur, text. in d. l. pen. juncta Auth. seq. Arbitri vero invitis non dantur, sed utriusque partis libero consensu, adsumuntur; ac proinde reconventio coram iis institui non potest, cum sibi imputare debeat reus, quod causam suam compromisso non comprehenderit, quæ ratio in effectu est ipsius Bart. in d. Auth. Ex qua & illud effici posse putat Bart. ut, si delegatus iudex utriusque partis voluntate impetratus sit, cesset & coram eo reconventio; quod notandum est.

**5** Ex prædictis duplex quæstio oritur: una, an arbiter adjudicando uni rem, de qua controver-

sia est, possit eundem alteri condemnare in aliam rem, quæ compromisso non continetur. Altera est, an et arbiter licigantes citare possit, contumaces punire, certum iudicii diem partibus præstituræ, ubi scilicet hæc compromisso comprehensa non sunt. Neutrum fieri posse ab arbitro innuere videtur textus in d. l. Si cum dies §. plenum, in d. l. Non distinguemus §. de officio & §. fin. & in l. De his rebus 51, D. De recept. arbitr. & per hunc textum qui diserte affirmat ultra facere non posse, quàm quod compromisso continetur.

At tamen verius est, quoad priorem quæstionem, quod possit arbiter hanc condemnationem facere, per text. in c. 2 sup. eod. & in c. Nisi 21, inf. De præbendis, Panorm. hic numer. 8. ex Bart. sententia in l. Aquiliana D. De transact. si videlicet arbiter condemnet in pecuniam præstandam alteri. Nam cum per pecuniam omnes res æstimentur, l. 1. D. De contrah. empt. & l. Si ita fidei iusserem 45, D. De fidei iuss. non videtur profus aliena res, si in pecuniam condemnatio fiat, cum hæc loco rei succedat. Idem videmus in iudicio communi dividendo, in quo licet occasione divisionis non possit rem non communem sed propriam alteri adjudicare, l. Vi fundus 18, 20, Communi divid. tamen si res commodam divisionem non recipiat, permissum est iudici, rem uni totam adjudicare, ut is alteri in certam pecuniam condemnetur, §. Eadem interveniunt Inst. De officio iud. & l. 3, D. Com. divid.

Quoad alteram quæstionem, observanda est hæc regula à Bernardo tradita in gl. quod arbiter, sive arbitri omnia ea expedire possint, sine quibus causa commode explicari sive tractari non potest, nam & in hoc consensus tacite censetur, arg. l. 2, C. De iuris d. om. iud. & c. Præterea §. sup. De off. & potest. iud. deleg. Unde recte arbiter partes citat, l. Dicere 23, circa fin. & d. l. Si cum dies 27, §. si quis cum l. seq. D. De recept. arbitr. Item contumacem punit, scilicet in expensas partis, l. Non ex omnibus 44, D. eod. Panorm. hic numer. 11. Item testes audit, non autem eos cogere potest, cum nullam habeat jurisdictionem, d. l. Non ex omnib. Quare & in integrum restituit, si incidenter restitutio petatur, §. penult. & ibi Gl. sup. De restit. in integ.

#### In Cap. Contingit. 8.

##### SUMMARIA.

1. Compromitti in laicum non potest de re spirituali.
2. Nisi simul cum Clerico adsumatur.
3. An idem obtineat in delegatione.
4. De rebus Ecclesia immobilibus an possit compromitti sine auctoritate superioris.

Obfer.

**O**bserva ex hoc Capite in laicum compromitti non posse de re spirituali. Intellege rem spirituales, veluti beneficium sive dignitatem Ecclesiasticam, item causam matrimonialem, decimalem & similes, *c. fm. De iudic. in d. & c. fm. inf. De permut.* Et ratio est, quia ut laicus in causa spirituali prohibetur iudex esse, *c. 2. inf. De iudic.* Ita quoque arbiter, *per h. text.* siquidem arbitria ad similitudinem iudiciorum sunt redanda, *l. 1. D. De recept. arbitr.*

**J**ure tamen permissum est, ut laicus unus sive plures simul cum Clerico in arbitros adsumi possit, etiam in re spirituali; nam de temporali dubium non est, quin vel solus laicus in arbitrum eligi possit, etiam inter Ecclesiasticos, *c. 4. supra hoc tit.* dummodò id fiat auctoritate iudicis Ecclesiastici, *c. Per tuas 9. hoc tit.* Hoc enim casu magis dignum trahit ad se minus dignum, *arg. c. 3. inf. De consec. Eccl.* Hinc tamen excipiuntur causae, quae nullo arbitrio tam laicorum quam Clericorum subjacent, ut sunt: a) sive matrimoniales, liberales, criminales & populares, quae majores iudices propter sui momentum desiderant, *c. penult. sup. De in integ. restit. & l. Non distinguimus 37. §. 1. q. D. De recept. arbitr.*

**Q**uærunthic Dd an quod dictum est de compromisso in laicum & Clericum simul, idem obtineat in delegatione rei spiritualis? Quod existimat Imola. *in d. c. Per tuas num. 18.* argumento ducto ab arbitris ad delegatos iudices: sed rectius pègat Panorm. *h. num. 2.* quippe delegati iudices publicè iudicandi munere funguntur, *l. Quippe 28*

*D. De iudic. quod ablatum esset in re spirituali excreari per laicum, d. c. 2. inf. De iudic. Facit & Ecclesia S. Mariae 10. sup. De constitut.* Arbitrorum verò potestas privata est, nullam jurisdictionem connexam habens, sed tantammodò notionem causae, *l. Aut pratur 5. D. De rei iud. iunctal. 3. C. De iuris d. om. iud.* Et hac ratione fit, quòd, licet Clericus in rebus tam civilibus quam spiritualibus se non possit subpicere saeculari iudici, *per c. Si diligenti 12. inf. De foro compet.* compromittere tamen possit de re civili sive saeculari in laicum, etiam sine auctoritate sui superioris, *c. dilecti 4. hoc tit. & tradit. ibid. Panorm.*

**S**ed utrum de iuribus & rebus immobilibus, quae alias à iure prohibentur alienari, de quibus *in c. Nulli inf. De reb. Eccl. non alienan. iuncto can. Placuit XII. quast. 2.* possit compromitti, absque auctoritate superioris, maioris inspectionis est. Et certè primà fronte videtur, quòd possit, *per text. in d. c. dilecti;* cum permissum sit Clerico per se ejusmodi rem deducere in iudicia, *c. Edoceri 21. & ibi latius sup. De rescript.* Attamen verior est sententia ipsius Panorm. *in d. c. dilecti & in repet. d. c. Per tuas num. 41. hoc tit.* quòd non possit sine Episcopi consensu; quia prohibita alienatione censetur omnis actus prohibitus, per quem devenitur ad alienationem, *d. c. Nulli & c. Cum qua unà de R. l. in 6. & l. Oratio v. de sponsalib.* Deinde compromissum species quaedam est transactionis, quia utrumque est voluntarium. At transactio fieri non potest sine consensu superioris, *c. Veniens 8. & c. De cetero 5. sup. De transact. ergò neque compromissum.*

## In Cap. Per tuas. 9.

## SUMMARIÆ.

1. Facti species.
2. Compromitti in arbitros potest, delegatione causa non obstante.
3. Arbitri sententiam suam exequi nequeunt.
4. S. Pontifex concurrens cum quolibet iudice inferiori.
5. Procurator etiam generaliter constitutus compromittere non potest.
6. Quid si compromiseris absque mandato speciali?
7. Falsæ procurator ad quid teneatur, & gesta ab eo quantenus teneant.
8. 16. Ex compromisso simplici non datur actio aut exceptio.
9. Nisi aliter inter compromittentes fuerit conventum.
10. Vel nisi sententia à paribus fuerit homologata.
11. Ex compromisso per stipulationem factò qua actio datur.
12. Ex simplici compromisso non dari actionem aut exceptionem iure Canonico.
13. Intellectus l. Diem proferre 27. §. ult. D. De recept. arbitr.
14. Homologatio sive approbatio an scripto fieri debeant.
15. Homologatio & ex ea actio an locum habeat, non obstante formâ compromissi per stipulationem, & vel quando compromisso adiecta est pœna.
17. Semel compromissâ vel præstâ pœnâ compromissum solvitur.
18. Contumacia alterius compromittentium non impedit committi pœnam.

Hanc

**H**anc Decretalem Panorm. in Repetitione sua vocat utilem, quotidianam, & difficilem, ut revera est. Nos paucis eam perstringemus, præmissâ tamen breviter facti specie.

1. Innoc. III. mandaverat Archiepiscopo Pisano, ut arbitratorum sententiam (quæ aliàs dicitur laudum, vel arbitrium sive arbitramentum) latam inter Hospitalarios S. Joan. & Plebanum, id est, Parochum de Piscia exqueretur. Cui executioni Plebanus tria opposuit: unum, quod non a se, sed à procuratore suo generaliter constituto compromissum esset: alterum, quod procurator ex consensu Canonicorum suorum, quos etiam causa concernebat, constitutus non fuisset: & tertium, quod sententia lata fuisset à tribus arbitratoribus, quorum unus erat Clericus, & duo laici, contra c. 2. *inf. De judic.* De his igitur consultus S. Pont. rescribit in hunc modum: ut, si sententia arbitratorum à Plebano recepta, id est, comprobata fuerit, ea indistinctè rata & firma haberi & executioni mandari debeat. Sin minus, inspicere oportere, an pœna compromisso adjecta fuerit, vel non fuerit: priori casu procuratorem conveniendum pœnæ nomine: posteriori ad id quod interest stari sententiæ arbitratorum. Neque officere, quod sententia lata sit ab uno Clerico & duobus laicis, cum autoritate Judicis delegati simul in hos omnes sit compromissum, quasi autoritas Judicis hunc defectum in laicis suppleverit.
2. In primis hic notandum est, quod, non obstante delegatione causæ, ad arbitros deveniri possit, etiam si eadem causa coram delegato Judice arbitrari cœpta sit, c. *Cum olim 7. & c. Innotuit 12. hoc tit. Auth. Si tamen C. De temporib. appellat.* Neque enim mandatum datum delegato Judici, ut licet cognoscat, & dirimat, impedit compromissum fieri: cum mandatum in gratiam litigantium emanaverit, cui haud dubie renuntiare possunt litigantes, recurrendo ad arbitros, l. *pen. C. De pallis.*
3. Observandum verò est, quod arbitri sententiam suam exequi non possint, quia nullam jurisdictionem habent, sed tantum notionem sive cognitionem causæ, l. *Aut Prator 5. D. De re judic.* Si quidem privatorum consensus non tribuit jurisdictionem, l. 3. *C. De jurisd. om. jud.* Quis igitur Judex? scilicet ordinarius ipsius rei condemnati per arbitros, l. *A divo Pio 13. in pr. D. De re judic.* & l. *pen. C. De receptis arbitrorum.* propter juris regulam, quæ actorum rei sequi debet, l. 2. *C. De jurisd. om. jud. s. Si clericus 5. & c. Cum sit generale 8. inf. De foro com-*

pet. Vel etiam potest esse summus Pont. per h. text. \* quippe S. Pont. per totum orbem in personas & res Ecclesiasticas ordinariâ potestate utitur, & cum quolibet inferiore ordinario Judice concurrat, *can. Cuncta per mundum & can. Per principalem 19. quest. 3.* Licet posteriori jure Concilio Trid. huic derogatum sit, quod hic non prosequor, sed videatur idem Conc. *Sess. 24. c. 2. in decreto de reform.* Sed cur non ipse Archiepiscopus Pisanus, cui antea eadem causa commissa fuit, non exequitur suâ autoritate sententiam arbitratorum? Ideo, quia huic executio simul mandata non fuit. Habet quidem illud privilegium Judex à Principe delegatus, ut sententiam à se latam executioni mandare possit, c. *Significasti 7. & c. Quaranti 26. sup. De off. & potest. jud. deleg.* non tamen id ad arbitratorum sententiam trahendum est, cum hoc nullo jure expressè caveatur.

Notandum tertio, procuratorem licet generaliter constitutum, non posse compromittere in arbitrum vel arbitros, *text. h. & ibi notant Gl. Panorm. & Imola.* Et ratio est, quia compromittens videtur in causa quodammodo transigere, cum sponte, nulla necessitate coactus, compromittat: at verò procurator sine speciali mandato transigere non potest, c. *Cui ad agendum 4. De procurat. in 6. & l. Mandato 60. D. eod. tit.* Quamvis enim instar judicii procedatur coram arbitris, l. 1. *D. De receptis arbitrorum.* tamen cum per compromissum reddatur deterior conditio ipsius principalis, propter appellationem, quæ jure inhabita est à sententia arbitratorum, l. 1. *C. eod. tit.* rectè quoque admissum est, ut generali mandato ad agendum vel defendendum non veniat compromissum. Sic & pactum de non petendo, jurisjurandi delatio, contractus matrimonii, generali mandato non continentur, d. c. *Cui ad agendum & ibi latius Dd. fin. in De procurat. lib. 6.* cum hæc magni sint præjudicii. Adeoque licet hæc clausula procurator datus sit, ut possit etiam exequi ea, quæ aliàs requirunt speciale mandatum, nihilominus hoc mandatum non extenditur ad ea, quæ specialiter exprimenda sunt, d. c. *Cui ad agendum.* Idque introductum est in utilitatem constituentium procuratorem, ne ex generali locutione facilè in fraudem inducantur, arg. l. *Clem. Aquiliana 5. D. De transact.*

Sed ponamus procuratorem compromisisse in arbitros, absque speciali mandato. Hic tandem subintrat distinctio textus nostri, ut si pœna compromisso adjecta fuerit, ipse procurator ad præstationem pœnæ teneatur: sin minus, ad id quod

interest adversæ partis. Cujus hæc ratio est, quod pactum procuratoris domino dissentienti vel ignorantem nocere non debet, *l. Ignorant. 4 §, D. De procurat. & l. Si procurator 10, C. eod.* Nocebit igitur ipsi procuratori, cum nemo facto suo alteri nocere debeat, *l. Factum D. De R. I.*

7 Quare hic textus singulariter notandus est, in eo, quod procurator, nullo vel insufficienti mandato instructus, teneatur adversario in id quod interest: & confirmat text. in *l. Plautius 61, & ibi Gl. D. De procurat.* Licet alioqui Judicium peractum cum hujusmodi falso procuratore sit ipso jure nullum, *l. Licet 16, D. d. tit.* Et hæc vera sunt, nisi ea, quæ sunt acta à falso procuratore, dominus postea comprobet, vel rata habuerit, *per h. text. & in l. Licet 56, D. De iud.* quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, *e. Ratihabitioem De R. I. in 6, & l. fin. C. Ad S. C. Maced.* sive falsus procurator sententiam pro vel contra se reportarit, *text. hic & in d. l. Licet D. De iud.* Adde Aade Gail lib. 1. *Observ. 47,* itaque hoc textu nostro subsequens ratihabitio Plauti firmam reddit arbitrorum sententiam, ita ut contra eum agi possit propter sententiam Unde hic de effectu sententiæ arbitrorum quædam paulò accuratius discutiamus.

8 Sciendum itaque est, ex sententia arbitri sive arbitrorum, quibus causæ cognitio & decisio commissa est simpliciter, id est, nullâ intercedente stipulatione, vel adjunctione pœnæ vel juramenti, nullam actionem vel exceptionem nasci, *l. 1, C. De recept. arbitr. & l. 2, D. eod.* Quoniam si aliqua nasceretur actio vel exceptio, ea haud dubiè esset actio judicati, sive in factum actio vel exceptio; sed neutra oritur nisi ex sententia Judicis, *l. Actor 8, C. De reb. cred. & §. item si in iudicio Instit. De except. & tototit. D. De except. rei iud.*

9 Verùm hoc ita, nisi aliter inter compromittentes conventum sit; ut puta si sibi invicem debitores sint, & pacti fuerint, ne quis petat id quod sibi debetur, si sententiæ arbitri non paruerit: nam hoc casu vincenti exceptio datur, *l. Litigatores 11, §. interdum D. De recept. arbitr.* idque propter naturam pacti, cujus officium est parere exceptionem, non actionem, *l. Juris gentium 7, §. sed cum nulla D. De pact. Dixi, si sibi invicem debitores sint; nam non sufficit unum alteri debere propter inæqualitatem, l. pen. C. De recept. arbitr. d. l. Litigatores §. item Iulianus & l. Idem Pomponius 14, circa princ. D. De recept. arbitr.* Et hæc prima exceptio est.

10 Altera est, nisi sententia arbitri vel arbitrorum

expressè vel tacitè à partibus sit homologata, id est, approbata. Est enim *ὁμολογῆν* idem quod approbare, sive consentire. Idem est, si ab iis dictum sit, *ὄκ ἀντιλέγω*, id est, non contradico: nam utroque modo approbatur & recipitur arbitri sive arbitrorum sententia, ita ut ei omninò parendum sit, modò tamen id scripto fiat, *l. 4, §. fin. & l. pen. C. De recept. arbitr.* Tacitè verò sit homologatio, si partes intra decem dies proximos non contradixerint arbitri sive arbitrorum laudo: nam silentio tanti temporis videntur partes in sententiam consensisse, *d. l. pen.* Ex hac igitur homologatione, sive expressa sive tacita, competit non solum exceptio, sed & actio in factum, ad implendam sententiam arbitri sive arbitrorum, *d. l. pen.*

Ubi verò à partibus compromissum est, accedente stipulatione, quod sententiæ arbitri sive arbitrorum stare velint, nullâ aliâ pœnâ vel juramento adjuncto, datur adversus eum, qui non parer sententiæ, actio incerti in id quod interest, *l. Diem proferre 7, §. fin. D. De recept. arb. & text. hic, in verbis. si verò receptum non fuit.* Sin certa pœna adjuncta fuerit compromisso per stipulationem, agitur ad eandem pœnam, ut ejus metu stetur sententiæ, *l. 1, C. eod. & c. Dilacti 4, in fine sup. eod. tit.*

Ceterùm hoc paulò subùs explicemus: quod enim ad primum attinet, quo dicimus, nullam ex simplici compromisso actionem vel exceptionem competere, id utique verum est de jure civili, at secus est de jure Canonico. Quidam existimant idcirco, quod ex nuda conventionione sive pacto hoc jure nascatur actio & exceptio, etiam quoad forum civile, de quo latius differuimus ad c. 1, & c. 3 sup. De pact. ubi probavimus, neque jure Canonico oriri actionem ex pacto nudo. Quare & ex simplici compromisso oriri actionem etiam de jure Canonico negavimus.

Nec obstat text. in *d. l. Diem proferre §. ult. D. De recept. arbitr.* ubi ita Ulp. *Sed si pœna non fuisset adjuncta compromisso, sed simpliciter sententia fieri quis promiserit, incerti adversus eum foret actio:* quia verbum hoc, *promissio*, intelligunt passim Interpretes juris civilis pro stipulatione: quod & probat text. in *§. si scriptum Instit. De inutilib. stipul.* licet quandoque verbum *promissum*, ad nudam promissionem sive pollicitationem referatur, *l. Scendum 19, §. 2, vers. promissum D. De adil. edicto*, idque pro subjecta materia. Suadet autem hoc ipsa materia, *promissum pro stipulatione accipiendum esse, eo quod Ulp. dicat*

dicat ex compromisso simpliciter facto oriri actionem, quod est contranaturam pacti nudi, *l. Iuris gentium 7, §. sed cum nulla D. De pact. & contral. pen. in pr. C. De recept. arbit.* Addit quidem Ulp. voculam *simpliciter*; verum id non facit ad removendam stipulationem, sed pœnam: quæ si adjecta non fuerit compromisso, dicitur hoc respectu compromissum simpliciter factum ab Ulpiano.

Quod verò ad homologationem sententiæ arbitratorum, eam duplicem esse diximus, tacitam & expressam. De tacita apud Dd. nulla est controversia, quin ex ea oriatur actio & exceptio, ex nova constitutione Justiniani *in d. l. pen. C. De recept. arbit.*

14 \* Sed de expressa homologatione contenditur, an eam scripro fieri necesse sit à litigantibus. Sunt qui negant, *per hunc text.* quo sufficit arbitrium, id est, sententiam arbitratorum, à partibus receptum esse. Contra alii affirmant, *per text. in d. l. pen.* ubi id disertè constituitur. Rectius tamen Panorm. & Imola hic adserunt quidem de jure Canonico, quo satis est consensus esse arbitri sive arbitratorum: ita ut jus civile hanc solemnitatem requirat, propter majorem deliberationem, quæ per scripturam fit; jus verò Canonicum nudam saltem comprobationem sententiæ, quodd ante in compromittendo partes satis deliberaverint. Unde hic notanda est differentia juris Canonici & civilis, quæ & servanda est in foro suo, juxta ea, quæ latius diximus in *c. Ecclesia S. Maria 10. sup. De consit.*

15 De forma compromissi per stipulationem, ubi scilicet ita compromissum est à litigantibus, præcedente unius interrogatione & alterius responsione, quodd velint stare sententiæ arbitratorum, quæ situm est, an non obstante hac stipulatione, sententia homologari possit, tacitè vel expressè, ita ut ex ea ad executionem sententiæ possit agi. Eadem quæstio est, si compromisso pœna aliqua adjecta sit. Utramque hanc quæstionem variis Interpp. opinionibus involvit Imola *hic numer. 17. eum seq.* in eòque acquiescere videtur, quodd pures de jure Canonico utroque casu homologationi locum esse, & consequenter præter actionem incerti in id quod interest, quam antea diximus oriri ex stipulatione, *d. l. Diem proferre 27, §. fin.* vel conditionem certi ad pœnam appositam, competere quoque actionem in factum, propter homologationem, *l. pen. C. De recept. arbit.* quam sententiam videretur probare textus noster, dum ait, arbitrium à Plebano receptum ratum habendum

esse; receptum, inquam, expressè vel tacitè: secus verò de jure civili, quo tantum actio incerti datur propter stipulationem, ex *d. l. Diem proferre §. ult.*

Verum Bart. *in d. l. pen.* & communiter juris civilis Interpp. teste eodem Imola, indistinctè existimant, solam competere actionem ex stipulatione, nullam verò ex homologatione: si quidem actio, quæ datur ex Justiniani constituto *in l. 4. & in d. l. pen. C. hoc sit.* propter homologationem, subsidiana est, eòque casu competens, quando alia actio deficit, sicut constat ex *l. l. pen. in pr.* Atque horum sententiam probat textus optimus in *c. Dilecti 4. hoc sit.* ubi propter pœnam adjectam jubetur statim sententiæ arbitri. Non igitur ubi pœna adjecta est, ex homologatione alia actio nascitur pro executione arbitri. Neque obstat textus noster, quia ex eo non probatur, propter arbitrium receptum à Plebano ad ejus executionem præcisè agi posse, si pœna adjecta sit; sed eo modo, quo in *d. c. Dilecti*, videlicet ut metu obstat sententiæ arbitri. Quà ratione cum conveniat jus Canonicum cum civili rejicienda est Imolæ distinctio. Semper enim illud retinendum est, quod egregiè monet Pont. in *c. Cum expediat. 9. De elect. in 6.* satius esse concordare jura juribus, ut quoad fieri potest eorum evitetur correctio.

Ut autem summam quæ dicta sunt hic repetam, ex sententia arbitratorum (sive usus sive plures sint arbitri) in quos simpliciter, id est, nudà conventionione compromissum est, nulla nascitur actio vel exceptio: quod etiam si regulariter contra receptam sit in nudo pacto, sive conventionione, ut saltem ex ea exceptio competat, *l. Iuris gentium 7, §. sed cum nulla D. De pact.* tamen secus obtinet in compromisso simplici & nudo, ad evitandam inæqualitatem, *d. l. pen. in pr.* Nam si statuamus me & Titium debitorem meum in arbitros compromisisse, & sententiam ab arbitris latam fuisse pro Titio; nonne iniquum esset, ex sententia arbitratorum exceptionem dari ipsi Titio, cum si pro me lata fuisset sententia, mihi utilitas nulla accederet? Unde propter hanc inæqualitatem vitandam non valet hujusmodi compromissum; nisi & ego vicissim debitor sum ipsius Titii, & actum fuerit, ut qui pro se sententiam habet, exceptione alterum removere possit, *ut sup. probavi ex l. Litigatores §. interdum C. De recept. arbit.* vel sententia tacitè expressè homologata fuerit, quæ specie actio & exceptio nascitur ex sententia arbitratorum. Sin verò per stipulationem compromissum factum sit,

fit, agitur in id quod interest, aut ad pœnam, si stipulatio pœnalis sit. Similiter si iuramentum adjectum sit compromisso, imploratur officium Judicis ad implendam arbitri sententiam, sicut ad e. 2. hoc tit. probavimus.

4 Ubi neque hoc omittendum est, quòd semel commissâ vel præstitâ pœnâ, quæ compromisso adjecta fuit, solvatur compromissum, nec amplius pœna committatur: nisi aliter conventum fuerit inter compromittentes, ut toties committeretur pœna, quoties actum fuerit contra sententiam arbitri, l. Si duo 34, § fin. De reept. arb.

2 Sed quid juris, si altera pars compromittentium contumaciter abfit, vel impedit arbitrum,

quò minus arbitretur? Et responsum est ab Ulp. pœnam committi, non aliter, quàm si contra impediens vel contumacem absentem arbiter pronuntiasset, d. l. Diem proferre 27, § si quis litigatorum D. ead. Idem puto, etsi non pœnalis fuisset stipulatio, sed simplex, id est, absque pœna; ob eandem rationem, qua per eum stetit, quò minus arbitretur. Nam si aliter fuerit, facile eludi posset compromissum, propter contumaciam alterius compromittentium, cum non nisi quàm præsentem utraque parte litigantium possit pronuntiare arbiter, vel arbitri, d. § si quis litigatorum, quod latius examinat Panorm. in c. Cùm dilectus 6 n. 12. h. tit.

## FINIS LIBRI PRIMI.

## HERICI CANISI,

NOVIOMAGI J. C.

## PRÆLECTIONES ACADEMICÆ

IN LIB. SECUNDUM DECRETALIUM.

## IN TIT. I. DE JUDICIIS.

## SUMMARI A.

1. Iudicii acceptiones varis.
2. Definitio.
3. Divisiones.



Iudicii varis acceptiones sunt. Interdum enim accipiuntur pro prudentia sive discretionem, ut in l. Prator 12, vers. natura D. hoc tit. Interdum pro actione, quam intentat actor contra reum, §. in bonæ fidei Instit. De actionib. Item pro ultima voluntate, l. 1. C. De SS Eccles. Quandoque aliter atque aliter, sicut latè persequitur Accurs. in §. præterea Instit. Quib. non est permis. sac. testam. In proposito verò argumento sumitur pro actu Judicis, quo tamquam persona publica jus dicit, quasi Judicium idem sit, quod Jurisdictio sive administratio, c. Forus 10, §. 1. inf. De verb. sig. Quamvis & locus ipse, in quo Judex, juris dicendi vel judicandi causa, sedet vel consistit, non minus rectè dicatur Judicium, l. Voluis 4. D. De interrog. in jure facten.

Quod autem Azo & plerique Judicium definiunt, quòd sit actus legitimus trium personarum in judicio contententium, videlicet Judicis, Actoris & Rei, ineptum sanè videtur, cum Judicium per Judicium definiant. Tum neque convenit Judicio per inquisitionem instituto, c. Qualiter & quando 24, inf. De accusat. & l. Congruit 13, D. De off. præsid. neque iis, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt, in quibus nullus confictus est litigantium, ut sunt emancipatio, adoptio, decreti interpositio in rebus minorum alienandis. Unde sufficit Judicium ita definivisse, vel potius descripsisse, quòd sit actus Judicis, ut Judex est.

Quoad Judicii divisionem ea quoque multiplex est. Ex persona Judicis, Judicium aut est Ecclesiasticum aut sæculare: ex re, quæ in Judicium venit, aut possessorium aut petitorium, item civile & criminale: ex modo procedendi, ordinarium aut extraordinarium, id est, solemne vel non solemne. Quæ hic non explico, sed videatur summa Juris Canonici, lib. 4. tit. De Judiciis; & in progressu de iis sæpè disseram.

I z

In Cap.